AUTHOR:

WALTZ, PIERRE

TITLE:

DE ANTIPATRO SIDONIO

PLACE:

BURDIGALAE

DATE:

1906

Master Negative #

91-80229-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Waltz, Pierre, 1878-
De Antipatro Sidonio. Thesim Facultati Litterarum Parisiensis Universitatis proponebat P. Waltz.
Burdigalae, ex typis G. Gounouilhou, 1906.
128 p. 24½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.13.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: WALTZ, PIERRO

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______Page(s) missing/not available: NO TITLE PAGE - BOOK BEGINS WITH PG. 7

______Volumes(s) missing/not available:

______Illegible and/or damaged page(s):

______Page(s) or volumes(s) misnumbered:


______Bound out of sequence:


______Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from:

______Other:

Duke







AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


NOVI EBORACI SIGILLUM COLLEGII COLUMBIAE

DE


ANTIPATRO SIDONIO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSIS UNIVERSITATIS

PROPONEBAT

P. WALTZ



BURDIGALÆ

EX TYPIS G. GOUNOUILHOU

Via dicta Guiraude, 11

MDCCCCVI

OPTIMO PATRI AC MAGISTRO EMINENTISSIMO

AD. WALTZ,

IN BURDIGALENSIS UNIVERSITATIS FACULTATE LITTERARUM PROFESSORI,

FILIUS AC DISCIPULUS GRATUS

D. D. D.

DE

ANTIPATRO SIDONIO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSIS UNIVERSITATIS

PROPONEBAT

P. WALTZ



BURDIGALÆ

EX TYPIS G. GOUNOUILHOU

Via dicta Guiraude, 11

MDCCCCVI

PRÆFATIO

Antipatri Sidonii quæ supersunt opera in Anthologia Græca cuncta exsistunt. Quæ constat ex multis prioribus epigrammatum *Coronis*, a Meleagro, Philippo Thessalonicensi, Stratone, Agathia, compositis. Hæc autem omnia Constantinus Cephalas, decimo post Christum seculo, in unum contraxit; cujus Anthologiam Maximus Planudes quarto decimo seculo renovavit, carminibus nonnullis ademptis, nonnullis additis.

Per multos codices ad nos ea epigrammata pervenerunt; quorum præcipui sunt duo : scilicet *Palatinus* (P, 23), undecimo seculo scriptus, a Salmasio anno MDCXVI Heidelbergæ repertus, quo continetur Cephalæ Anthologia (cap. V-VII et IX-XII) nonnullis excerptis amplificata; — atque *Venetus*, ab ipso Planude scriptus, ubi multa sunt epigrammata in codice P omissa; quæ in recenter editis Anthologiæ libris post cetera ponuntur (cap. XVI). Minoris autem momenti sunt *Parisini* tres, *Florentinus*, *Barberinus* atque *Vaticanus*.

Itaque nostro summatim operam dederunt qui tota in Anthologia perpendenda imprimisque edenda versati sunt : scilicet Brunckius, qui omnis generis notis animadversionibusque carmina illustravit (MDCCLXXII-MDCCLXXVI); Jacobsius, qui criticas quæstiones adiit, atque de poetarum cujusque vita et operibus commentarios scripsit (MDCCXCVIII-MDCCCXIV); F. Dehèque, qui præter ejusmodi commentarios

Anthologiam gallice traduxit (MDCCCLXIII)[1]; Dubnerus, qui Jacobsii editioni collationes permultas addidit (MDCCCLXXI-MDCCCLXXXVIII); Stadtmuellerus denique, qui de capitibus I-VII criticas quæstiones penitus perspexit (MDCCCXCIV-MDCCCXCIX). Præterea nostri mentionem sæpe fecerunt qui de Anthologia libros vel opuscula scripserunt, præsertim qui poetarum cuique sua epigrammata tribuere conati sunt[2].

At nemo omnia quæ ad Antipatrum Sidonium pertinent uno in opere perpendere adhuc tentavit; nonnulli tantum vel de toto ejus opere vel de hac aut illa quæstione commentarios scripserunt, ut noster Boivin[3] atque Kaibelius[4]. Hoc autem maxime a plerisque perspectum est, qua ratione nostri carmina ab Antipatri Thessalonicensis epigrammatis discerni possent. Quam rem duo libelli tractant, a Weigandio et a Settio compositi[5]. Ille autem, amborum carmina perscrutatus, sæpe rem non certe concludere ausus est; qui breviter et quasi transeundo per epigrammatum argumenta scriptorum ingenia effingere tentavit, eorumque sermonem, dialectum, versuum conformationem examinavit. Settius contra cuncta hæc epigrammata inter Sidonium atque Thessalonicensem omnino et absolute dispertire maxima pertinacia conatus est; qui utriusque ingenium depingere quoque tentavit et quæ ad eorum orationem pertinent exploravit; sed eo tantum hæc spectant, quo certiores rationes ad carmina distribuenda

1. Nonnulla item nostri carmina inter Anthologiæ excerpta ultimo capite libri inscripti *Lyriques grecs* (Charpentier, 1842) multis a doctis viris gallice traducta sunt, scilicet VII, 8 (n. 144), 15 (n. 154), 218 (n. 137), 241 (n. 84), 713 (n. 156), 743 (n. 153); — IX, 66 (n. 35); — XVI, 176 (n. 178).

2. Cf. imprimis Jacobs, *Prolegomena in quibus historia Anthologiæ Græcæ narratur*; — Passow, *De vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in Anthologia C. Cephalæ*, aliaque ejusdem opuscula; — Weigand, *De fontibus et ordine Anthologiæ Cephalanæ* (*Rheinisches Musæum*, 1845, p. 161-178, et 1847, p. 276-288); — Weisshaüpl, *Die Grabgedichte der Anthologie*, Vindobonæ, 1890; — Couat, *La Poésie alexandrine*, passim; — H. Ouvré, *Méléagre de Gadara*, Parisiis, 1894; — Kaibel, *Observationes criticæ in Anthologiam Græcam*, Berolini, 1865; — Benndorf, *De Anthologiæ Græcæ epigrammatis quæ ad artes spectant*, Bonnæ, 1862; — Dilthey, *Observationes criticæ in Anthologiam Græcam*, Göttingæ, 1878; — Finsler, *Kritische Untersuchung zur Geschichte der Griech. Anthologie*, Tigure, 1876; — Susemihl, *Geschichte der Griech. Litteratur in der Alexandriner Zeit*, t. II, p. 551 sq.

3. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. III, p. 279-320.

4. *Hermes*, XVII, 1882, p. 421-423.

5. Weigand, *De Antipatris Sidonio et Thessalonicensi poetis epigrammaticis*, Vratislaviæ, 1840; — Setti, *Gli epigrammi degli Antipatri*, Torinis, 1890.

suppeditent. Quæ Settii distributio pæne absoluta perfectaque haberi potest; sed restat ut, criticis quæstionibus vel collationibus omissis, cuncta epigrammata quæ Sidonii videntur esse in summa perpendamus, atque eorum argumenta, elocutionem, res grammaticas et metricas pertractemus, ut ejus indolem ingeniumque pro parte virili effingamus.

CAPUT PRIMUM

—

De Antipatri vita.

Antipatro, licet Phœnicius certe fuerit, plane Græcum nomen est; ex quo Græca origine eum ortum esse colligi potest, atque a teneris Græcam linguam plane cognitam habuisse[1]. Cujus de vita cum perpauca monumenta in ipsius operibus reperiuntur, tum multi scriptores mentionem ejus fecerunt. Imprimis Meleager, in Anthologiæ quodam epigrammate (VII, 428), cippi ejus σύμβολα descripsit : scilicet gallum palmam sceptrumque gerentem, et labentem in extrema basi reclinatumque talum; quæ sic poeta explanavit : Tyrium esse Antipatrum, quam urbem palma significat, potentissimis prognatum majoribus, grandi voce præditum, variorum carminum cantorem, cum a Venere tum a Musis amatum, et eumdem eloquentissimum : quæ per gallum sceptrumque denuntiantur. Talus autem prolapsus « obiisse eum in vino lapsum testatur ».

Mirum est quod Tyrium esse Antipatrum, cum Sidonius vulgo habeatur, dixit Meleager; quo auctore Buchelerus[2] Tyrium esse nostrum asseverat, quod a Meleagro, ut æquali ejus, certissime notum hoc fuerit; præsertim cum palma, a poeta relata, in Tyriis nummis reperiatur. Hæc quidem verisimilia; sed inde concludit Buchelerus Antipatrum Tyrium

1. Notandum est eadem in regione plures vixisse Antipatros, inter quos eodem tempore rhetorem quemdam ac stoicum philosophum, Antipatrum Tyrium, quem commemorant Diogenes Laertius in *Stoicorum indice,* Cicero (*De Off.*, II, 24, 86), Plutarchus (*Cato,* IV), Herculanea papyrus de ἀπὸ Ζήνωνος Στωϊκοῖς διαδόχοις, atque in Anthologia epigramma sepulcrale (VII, 369).
2. *Rheinisches Musæum,* XXXVI, p. 338-340.

Philonemque filium cognatione nostrum attigisse; quod minime constare censeo, deficiente certiore indicio. Equidem Sidonium reliquis ex testimoniis habeo Antipatrum, Phœnicium indicante per Tyrium Meleagro.

De morte quoque Antipatri non omnes consentiunt scriptores; quem « omnibus annis, uno die tantum natali, correptum esse febre » nonnulli narrant, « et eo consumptum esse satis longa senecta[1]. » Quod longe alio modo accidisse nos docet apud Meleagrum talus; mihi quidem id minime placet quod suspicatus est Weigandius[2], hanc febrim auctam esse vino; falso igitur mortis causam fuisse annuum morbum a posteris putatum esse existimo, Meleagrumque, æqualem ejus, sequi malo.

Ex ejus scriptis supersunt tantum epigrammata, distichis composita; variis tamen modis atque numeris versus eum finxisse constat, quos « ex tempore fundere » solitus est[3]. Itaque verisimile est eum eodem vivendi genere quo Licinius Archias, paulo junior, usum esse, scilicet in peregrinando tempus consumpsisse, omnibus in urbibus commorari versusque statim inventos, tamquam ludis editis, declamitare solitum. Romæ autem versatum esse Antipatrum opinio est, non vero constat[4]. Falso cælatorem eum fuisse asserit Plinius[5], de quo errore infra dissereтur.

Quod ad ejus mores ac disciplinam pertinet, stoicus haberi possit, utpote qui epigramma de Zenonis laude — quod infra referemus — scripserit; sed rhetoris elogium hoc est, non discipuli; equidem epicureum, auctore Meleagro[6], eum putare

1. Plin., *H. N.*, VII, 52, 2. — Cf. Val. Max., I, 8, 16 : « Et poeta Antipater Sidonius omnibus annis uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur, cumque ad ultimam ætatem pervenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. » — Cf. Cic., *De Fato*, 3, 5 : « ...in aliis, ut in Antipatro poeta,... naturæ contagio valet... »

2. *De Antipatris... poetis epigrammaticis*, p. 24-25.

3. Cic., *De Or.*, III, 50, 194 (Crassus loquitur) : « ...Antipater ille Sidonius, *quem tu probe, Catule, meministi*, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut cum se mente ac voluntate conjecisset in versum, verba sequerentur. » — Cf. Quint., *Inst. Or.*, X, 7, 19.

4. Quod temere affirmat, auctore Cicerone *(loc. cit.)*, Susemihl, *Geschichte der Griechischen Litteratur in der Alexandriner Zeit*, vol. II, p. 553.

5. *H. N.*, XXX, III, 156.

6. *Epigr. cit.*, v. 15-18.

malim, qui levem vixerit otiosamque illam vitam, temporis ejus scriptoribus plerisque communem, qualem habuerunt Meleager, Archias, Lucianus, præsertim Asiatici, natura molliores.

Quo vero tempore vixerit Antipater, per ejus epigrammata quadamtenus definiri potest. Quorum duo[1] de Corinthi ruina scripta sunt, quæ anno ante Christum natum CXLVI accidit; aliud de Ptolemæi cujusdam morte, Ægyptiorum regis filii[2] : quem, Clintonio et Weigandio auctoribus, Ptolemæi Philometoris filium esse puto, qui intra annos CLXXXI et CXLVII regnavit[3]. In Meleagri autem Corona ut recens (νέος) refertur Antipater; quam circa annum XCVI confectam esse Weigandius monstravit, quo tempore nuper mortuum esse nostrum credendum est. Archiam tandem poetam ætate anteivit, qui eum sæpius imitatus est; Ciceronis autem tempore hic vixit, circa annum CXVII natus.

Itaque secundo ante Christum natum seculo patet vixisse Antipatrum. Qua de re certiores nos Cicero fecit, cum eum a Crasso Catuloque cognitum referat in dialogo *De Oratore (loc. cit.)*. Crassus autem, qui intra annos CXL et XCI vixit, in Græcia eum fortasse vidit, ubi quæstor anno CVIII fuerat; Catulus anno LXXXVIII mortuus est; denique dialogum anno XCI incidere fingitur, in quo de Antipatro tamquam de præteriti temporis homine loquitur Crassus. Quibus documentis colligi licet eum circiter anno C vita decessisse, atque, cum diutissime vixerit, intra annos CLXXX et CLXX esse natum, — at certe non antea, namque eum vigentem Catulus Crassusque non cognovissent, — intraque annos CXL et CXXX floruisse[4].

1. A. P., IX, 151, et VII, 493.

2. VII, 241.

3. Falso putat Reiskius Ptolemæum Epiphanem (CCI-CLXXXI) hunc regem esse; cujus tempore scripsisse Antipatrum non probari potest. Adde quod Philometor Andromachum quemdam Romam anno CLIV misit (cf. Polyb., XXXIII, 5, 4), cujus nomini fortasse alludit verbum ἀνδρομάχοις (*ep. cit.*, v. 4).

4. Anno CXXIV Antipatrum, nondum veterem, cognovisse Catulum asserit Weigandius, quippe qui intra Olympiadas CL et CLXVI (annos CLXXVI-CXII) vixisset; quæ ita certo statuere non audeam. Reiskius autem intra Olympiadas CLVI et CLXXI (annos CLII-XCII) eum vixisse putat; quæ si ita essent, vix intelligi posset ejus et epigrammata et funebres laudes a Meleagro compositas in hujus Corona referri.

CAPUT II

Criticæ quæstiones.

Antipatri Sidonii nomini in Anthologia inscribuntur, integro certoque lemmate, epigrammata sex et quadraginta[1]; de talibus autem rebus sæpius errari solet, quia sæpe fit ut epigramma quoddam poetæ nomini falso inscriptum sit, sive qui alia eisdem de rebus vel hominibus, aut in codice proxime sita composuerit, sive cujus nomen veri scriptoris nomini vicinum vel omnino simile sit[2]. Quod ad nostrum pertinet, sæpissime reperiuntur hujus generis errores vel dubitationes, quia tribus Anthologiæ poetis nomen fuit Antipatri : Sidonio, Thessalonicensi, Macedoni. Inter quos epigrammata partiri Antipatri cujusdam nomini adscripta, ea præsertim quorum lemmati deest cognomen, hoc est critici præcipuum opus.

Per epigrammata sua satis notus est Antipater Thessalonicensis : cujus in carminibus sæpius reperitur Pisonis nomen, qui Bessos Thracesque inter annos XI et VIII ante Christum natum vicit[3], et cujus amicus, comes[4] ac fortasse hospes[5] fuit Antipater. Itaque Augusti tempore hunc vixisse constat; quod planius etiam monstrat epigramma IX, 297, quo princeps ille ostenditur dum ad Euphratem Parthos subjecturus

1. VI, 14, 46, 47, 93, 159, 160, 206; — VII, 2, 6, 8, 14, 23, 26, 27, 29, 30, 34, 81, 146, 161, 164, 172, 218, 241, 246, 303, 353, 423, 424, 425, 426, 625, 745, 748; — IX, 66, 231, 407, 603, 720, 721, 722, 723, 724; — X, 2; — XVI, 167 et 178.
2. VI, 291; — IX, 321; — XI, 327, etc. Cf. sub fine capitis, p. 21 sq.
3. VI, 335, 241, 249; — IX, 93, 541, 552; — XVI, 184.
4. X, 25.
5. IX, 92, ubi nomen Pisonis non reperitur.

proficiscitur[1]. Aliud de Glycone athleta scribitur[2], quem Augusti æqualem fuisse docet Horatius[3]. Denique Caium quemdam in epigrammate IX, 59 invocat[4]; quem plerique Caligulam esse existimant. E quibus intelligere licet Antipatrum Thessalonicensem circiter centum annis juniorem esse Sidonio, atque Philippi Anthologia ejus epigrammata contineri[5].

Antipatro Macedoni adscribuntur sex epigrammata[6]; cujus de vita neque ejus carmina neque alii scriptores quidquam docent[7]. Primum autem animadvertit Brunckius, postea Jacobsius[8], Weigandius[9] ac Settius[10] ejus epigrammata cum argumentis tum lingua et versibus Thessalonicensis carminibus omnino esse similia; adde quod unum Macedonis epigramma (VI, 289) tria Thessalonicensis proximum sequitur[11], atque in Philippi Corona tria illius continentur[12]. Propterea Macedonem se profitetur Thessalonicensis, qui patriam μήτερα « πάσης Μακηδονίης » vocaverit[13]. Quid igitur mirum, si nonnullis lemmatibus Macedo pro Thessalonicense dictus est? Itaque inter duos tantum scriptores, Sidonium et Thessalonicensem, distribuenda sunt quæ sub nomine Antipatri exsistunt[14].

In qua partitione multa sunt κριτήρια, alia intrinsecus, alia extrinsecus sumpta. Inter illa unum est certissimum, quod res tempore suo gestas uterque rettulit[15]. Aliud e poetis trahitur, vel quos nostri vel qui nostros imitantur; quod præsertim de

1. Quod anno xx ante Christum natum evenit.
2. VII, 692.
3. *Epist.*, I, 1, 29.
4. Ὦ Ῥώμας Γαῖε πάτρας ἔρυμα (v. 6).
5. Cf. *Cor. Phil.*, v. 7.
6. VII, 289; — IX, 46, 215, 282, 421; — XVI, 143.
7. Philippi tempore (seu Alexandri seu Persei patris) eum vixisse affirmat, nescio quo auctore, F. Dehèque (*Anth. Gr.*, vol. II, p. 295).
8. *Anth. Gr.*, vol. XIII, p. 846-850.
9. *Op. cit.*, p. 48.
10. *Op. cit.*, p. 53-57.
11. VI, 286 : Ἀ. Θ. — VI, 287 : Ἀ. — VI, 288 : τοῦ αὐτοῦ. — VI, 289 : Ἀ. Μ.
12. IX, 215, 282, 421.
13. IX, 428.
14. Inter omnes criticos Fabricio et Reiskio tantum non placuit eumdem poetam hæc duo nomina designare; quod si non plane manifestum, verisimile tamen censeo.
15. Cf. Ant. Sid., VII, 493, et IX, 151, — atque præsertim Ant. Thess., in epigrammatis supra relatis, p. 15.

Sidonii carminibus valet; quem, Leonidam Tarentinum imitantem, sæpe Archias imitatur[1]. Cetera, minus quidem certa, ad argumenta, stilum, dialectum, versuum conformationem pertinent[2] : multa enim irrisoria et amatoria scripsit Thessalonicensis, Sidonius nulla; grandibus verbis, sæpe duobus e vocabulis compositis, longis et implicatis periodis Sidonius uti solet, simplicibus autem verbis brevibusque sententiis Thessalonicensis; dorica ille dialecto, hic ionica; denique rei metricæ leges severius observat Sidonius. Quæ tamen, cum non semper et absolute vera sint, non satis sint ad nostrorum epigrammata certo distribuenda, ut ad cetera κριτήρια firmanda tantum valeant.

Inter quæ certiora sunt extrinsecus sumpta :

Primo sunt nonnulla epigrammata ab aliis scriptoribus cum nomine poetæ relata. Ita enim laudem cognovimus a Sidonio de Zenone scriptam, quæ in Anthologia quidem non reperitur, a Diogene Laertio vero relata est[3]. Aliud autem ejusdem epigramma (XVI, 296) a Plutarcho memoratum est[4].

Deinde accidit ut in lapidibus inscripta reperiantur aliqua carmina; nulla quidem Thessalonicensis, Sidonii perpauca, variisque lectionibus[5]; quod genus igitur nunc omittendum est.

Denique ex ipso loco quem in Anthologia Palatina obtinent huic aut illi possunt imputari epigrammata, prout ex Meleagri aut Philippi Corona videntur manavisse. Constat enim e σχολίῳ quodam[6] litterarum singula carmina incipientium ordinem in disponendis epigrammatis secutum esse Meleagrum; quem

1. VI, 14, 174, 206, 287; — VII, 23-30, 34, 65, 164, 353, 423, 467; — IX, 323, 720-724, 728; — X, 2; — XVI, 178. Cf. infra, p. 28.
2. Cf. de dialecto VII, 23 sqq.; — de periodis, VII, 164 et 427; — etc.
3. D. L., VII, 29 : Ἀθηναῖοι δ' ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ Κεραμεικῷ... καὶ Ἀντίπατρος ὁ Σιδώνιος ἐποίησεν οὕτως εἰς αὐτόν :

Τῆνος ὅδε Ζήνων Κιτίῳ φίλος, ὃς ποτ' Ὄλυμπον
ἔδραμεν, οὐκ Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος,
οὐδὲ τά γ' Ἡρακλῆος ἀέθλεε· τὰν δὲ ποτ' ἄστρα
ἀτραπιτὸν μούνας εὗρε σαοφροσύνας.

4. *De vita et poesi Homerica*, cap. IV.
5. VII, 6, Romæ repertum (Æliano cuidam adscriptum); — VII, 15, Pergami. Cf. *C. I. G.*, n. 6092 et 3555.
6. Cod. P, p. 81 :Συνέταξεν δὲ αὐτὰ κατὰ στοιχεῖον.

postea imitatus est Philippus. Quamquam autem hunc ordinem Cephalas perturbavit, dispositis secundum argumenta carminibus, pristini ordinis vestigia etiamnunc reperiuntur : quæ primus animadvertit Passovius[1], nonnullasque series notavit, quarum in duabus litterarum ordo inversus est[2]. Alias deinde series animadverterunt Weigandius[3], Settius et Stadtmuellerus; quarum in aliis ordo interpositis ejusdem scriptoris epigrammatis turbatur; in aliis penitus confunditur, omnibus tamen scriptoribus ex eadem Corona sumptis.

Itaque tribuenda sunt :

Meleagri Coronæ : V, 52-57 et 134-215; — VI, 43-53, 109-163 (inter quæ *110-113* litterarum ordine), 210-226, 262-313, 353-358; — VII, 5-16, 19-31, 76-79, 160-167, *194-203*, 207-212, *246-273*, 295-304, 314-318, 406-529 (inter quæ *469-471*, *507-513*, *518-522* litterarum ordine), 535-541, 646-665, 712-740; — IX, 313-338, 563-569, 598-605; — XI, 437-441; — XII, 41-172;

Philippi Coronæ : V, 29-33, *104-133*; — VI, *87-108*, *227-261*; VII, 183-188, 233-240, 286-290, *364-405*, *622-645*; — IX, 81-98 (inter quæ *81-89* litterarum ordine), 100-105, *215-312*, *403-423*, *541-562*, 705-709; — X, *18-25*, 100-103; — XI, *23-46*, *318-327* (excepto 323, Palladæ, quo litterarum ordo interrumpitur); — XII, 24-27.

Interdum vero non abest suspicio quin fortuito casu nonnulla coronæ ejusdem epigrammata rursus conjuncta sint, præsertim cum brevissima est series[4]. Quin etiam in certioribus emendanda mihi aliqua videntur : VII, 712-740 ad 707-740, atque X, 18-25 ad 17-26 produco; VI, 109-163 ad 115-163 (Cor. Mel.) redigo, cum Philippi sit epigramma 114 atque alia series epigrammatis 110-112 composita sit, servato litterarum ordine. Denique Philippi Coronæ addenda puto V, 89-91 (M. Argentarii, litt. ord.), et IX, 342-356 (ordine perturbato).

1. *De vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in Anthologia Constantini Cephalæ*, Vratislaviæ, 1827.
2. XI, 23-46 (Cor. Phil.); — XII 71-78 (Cor. Mel.).
3. *Rheinisches Musæum*, III (1845), p. 161-178, 541-572; — V (1847), p. 276-288; — et op. cit. de Antipatris.
4. Maxime dubiæ mihi videntur hæ series : VI, 43-53 (inter quæ multa sunt ἀδέσποτα); — VII, 535-541; — IX, 100-105, 563-569; — XI, 437-441; — XII, 24-27, — atque plurimæ brevissimæ, a Stadtmuellero animadversæ, quas omnino negligendas censeo (VII, 5-11, 13-15, etc.).

Itaque Antipatro Sidonio tribuenda sunt, etiamsi deest poetæ cognomen, quæ epigrammata Meleagri Corona, Thessalonicensi autem quæ Philippi Corona continentur. Sidonio igitur viginti duo hæc carmina adscribimus :

VI, 109, 111, 115, 118, 219, 223, 276, 287, 291; — VII, 15, 209, 210, 252, 427, 464, 467, 498, 711, 713; — IX, 323, 567; — XII, 97.

At nonnunquam fit ut Sidonio tribuant codices e Philippi Corona, vel Thessalonicensi e Meleagri Corona sumptum aliquod epigramma; quæ lemmata permutare non dubito, atque Sidonio assignare VII, 409, 413, 493 (cod. : Ant. Thess.), item Thessalonicensi VI, 93; — VII, 625; — IX, 231 (cod. : Ant. Sid.).

Reliquum est ut statuamus uter auctor sit epigrammatum quæ, Antipatro quidem, sed omisso cognomine, adscripta, neutrius Coronæ relliquiis continentur; dein ut ea perpendamus quibus duplex est lemma vel quæ ἀδέσποτα variis de causis Sidonio tribui possunt; denique ut ei restituamus quæ aliis poetis perperam in codicibus adscripta sunt, et quæ ei falso adscribi videntur auferamus.

Triginta septem examinanda supersunt Anthologiæ carmina Antipatri nomini inscripta[1]. Quæ diligentissime a Settio perpensa sunt, remque pæne totam ille elaboravit; itaque, ne iterum dicamus quæ firmissimis argumentis ille doctissimus plane probaverit, utque ad alia minus trita nos reservemus, satis habebimus exponere quæ in summa ille censuerit eaque cum aliorum sententiis conferre[2]; atque in eis tantum carminibus commorabimur, de quibus cum illo non consentimus.

Sidonii esse igitur Antipatri hæc epigrammata cum Settio opinamur :

e stilo, dialecto, lingua, periodorum conformatione : VI, 10; — VII, 75, 743; — IX, 58, 790; — XVI, 131, 133, 296, 305;

ex argumentis : VII, 65 (quo Leonidæ Tarentini VII, 67

1. VI, 10, 174, 208, 209, 335; — VII, 65, 75, 136, 232, 705, 743; — IX, 23, 58, 59, 72, 76, 143, 149-151, 728, 790, 792; — XI, 158, 219, 224, atque in Planudea Anthologia : XVI, 75, 131, 133, 175, 176, 184, 197, 220, 290, 296, 305.
2. Præsertim Weigandii, Reiskii, Dubneri, Stadtmuelleri.

poeta imitatur); — IX, 76 (quod Archias, IX, 343, imitatur), 151 (quo res ab ipso poeta visas referri manifestum est), 728 (cui est argumentum idem atque 720-724);

e codicibus : VI, 174 (Ant. Sid. in Anthologia Planudea).

Thessalonicensi autem hæc cum illo tribuimus, sive propter periodorum brevitatem verborumque simplicitatem, sive relatis e factis, seu quod amatorium est carmen aut satiræ simile : VI, 208, 209, 335; — VII, 136; — IX, 59, 72, 143, 149, 150, 792; — XI, 158, 219, 224; — XVI, 184, 290.

Dubia autem, quia res illatis rationibus non planissime probatur, hæc mihi videntur : VII, 232[1], et VII, 705[2].

De his quoque hæsitatio est, quia adhibitis rationibus aliæ adversantur : IX, 23[3], et XVI, 220[4].

Tribus autem de carminibus a Settio dissentio : IX, 567[5]; — XVI, 75[6] et 197[7].

Denique duorum carminum (XVI, 175 et 176) de quibus Settius hæsitat, unum mihi quoque dubium videtur[8], alterum Sidonio tribuo[9].

1. Affectatus est stilus, simplicior vero structura; Sidonio tribuit Settius.

2. Una est periodus, grandia verba, multa epitheta, idem argumentum atque IX, 151; — sed simplicior structura quam apud Sidonium solet; itaque de hoc carmine dubito, sed ut ceteri Thessalonicensi, ita ego Sidonio id tribuere malim.

3. Sidonio tribuit Settius, e finis structura, et quod versum IX, 58, 4, sextus versus imitatione sequitur; sed maxime ionica est dialectus, et simplicissima oratio, sermoni similis. — Thessalonicensi tribuit Brunckius, — Weigandius de re dubitat.

4. Thessalonicensi tribuit Settius, quod simplicissime res expressa est, et epigrammatis IX, 59 structura hic repetitur; — sed omnino dorica est dialectus, quod apud Thessalonicensem nunquam fit. — Eidem tribuit Benndorfius, Sidonio Brunckius et Overbeckius.

5. Sidonio tribuit Settius hoc epigramma, quod Meleagri Corona contineatur; sed ex oratione eoque, quod amatorium est, Thessalonicensi tribuo; adde quod incertissima est series IX, 563-569, quo argumento de epigrammate VI, 47 ipsum Settium uti mox videbimus.

6. Thessalonicensi tribuit Settius, quod simplex est structura, et certorum virorum laudes sæpius apud hunc reperiuntur quam apud Sidonium; denique Cotyn, Thracum regem, de quo epigramma scriptum est, eum esse affirmat, qui Caligula imperante vixerit; — sed abundant composita verba et epitheta, atque multis Thracum regibus hoc fuit nomen Cotys, inter quos unus Persei tempore vixit (cf. Polyb., XVII, 10); itaque Sidonio carmen tribuimus.

7. Sidonio tribuit Settius, quia hoc epigrammate descriptio continetur, et paulum turget oratio; nimis quidem curiosa et putida elocutio, sed non tumidi neque magnifici verborum ambitus; ut Thessalonicensi libentius hoc tribuerim.

8. XVI, 175 : amatorium carmen, cum IX, 143 (Ant. Thess.) satis congruens, brevius vero quam ut certissime quæstionem solvamus.

9. XVI, 176 : magis doricus dialecti color est, quam ut Thessalonicensi epigramma tribui possit; quod Sidonio quoque tribuit Brunckius; de re dubitant Weigandius et Benndorfius.

Quindecim epigrammatis duplex est lemma[1], sive incerti sunt codices, sive inter se dissentiunt. At eorum quatuor Philippi Corona continentur; itaque, si Antipatrorum alterutrius sunt, auctorem habent Thessalonicensem[2]. Item negligenda sunt VII, 692 (Antipatri, aliis Philippi Thessalonicensis); — IX, 3 (Antipatri, aliis Platonis); — XI, 415 (Antipatri, aliis Nicarchi), quæ manifestum est ex argumentis, stilo, lingua, si Antipatrorum utricumque, Thessalonicensi esse tribuenda.

Breviora vero sunt epigrammata duo quam ut certa sint κριτήρια intrinsecus sumpta, ideoque tantum codicibus standum est :

VII, 316 : P : Λεωνίδα ἢ Ἀντιπάτρου, — Pl. : Λεωνίδου;

IX, 45 : P : Στατυλλίου Φλάκκου, — Pl. : Πλατῶνος, οἱ δὲ Ἀντιπάτρου;

Leonidæ illud, hoc Statyllii esse puto.

Denique, reliquorum sex epigrammatum videntur mihi quatuor Sidonio abjudicanda, duo vero dubia :

1° VI, 15 : P : τοῦ αὐτοῦ (Ant. Sid.), οἱ δὲ Ζωσίμου, — Pl. : Ζωσίμου; Zozimo hoc tribuo, et e codicibus, et quod argumentum oratioque magis cum VI, 183-185 (Zozimi, eadem de re) quam cum VI, 14 (Ant. Sid., eadem de re) congruunt.

VI, 291 : Cod. : ἀδέσποτον, excepto A^1 (codicis P correctore) : Ἀντιπάτρου; Sidonio tribuunt Brunckius, Jacobsius, Stadtmuellerus, quia in ep. VI, 174 reperitur idem nomen Bacchylidis; sed longe dissimiliores sunt harum mulierum mores, quam ut de eadem agatur; ἀδέσποτον igitur id carmen relinquamus.

VII, 165 : Cod. : τοῦ αὐτοῦ (Ant. Sid.), οἱ δὲ Ἀρχίου; ad imitationem epigrammatis VII, 164 fictum, quo Leonidam Tarentinum (VII, 163) poeta invicem imitatur; equidem puto scriptorem alius vestigia secutum esse, potius quam pæne idem carmen iteravisse, præsertim cum sæpissime nostrum Archias imitetur.

VII, 282 : P : Θεοδωρίδου, — Pl. : Ἀντιπάτρου; quod vetat oratio pæne pedestris ne Sidonio tribuamus.

1. VI, 15, 291; — VII, 165, 282, 316, 470, 692; — IX, 3, 25, 45, 266, 269, 549, 554; — XI, 415.

2. IX, 266, 269, 549, 554; eadem de causa in hac recensione omisimus IX, 101 (Alphei, aliis Ant. Thess.); — XI, 331 (Nicandri, aliis Ant. Thess.).

2° VII, 470 : P : Μελεάγρου, — Pl. : Ἀντιπάτρου; quod Meleagro Settius, Sidonio Stadtmuellerus tribuunt : dialogi quidem formam sicut VII, 164 (Ant. Sid.) habet, sæpe vero dialogo Meleager utitur; de philosophia autem sicut VII, 413 (Ant. Sid.) laudes continet, quod argumentum infirmissimum mihi videtur.

IX, 25 : P : τοῦ αὐτοῦ (Leonidæ Tarentini), — Pl. : Ἀντιπάτρου; quod Leonidæ tribuunt omnes, nullis vero illatis argumentis; grandia quidem sunt epitheta multaque ἀσύνδετα, ut apud Antipatrum Sidonium fieri solet; at simplicissimæ sunt verborum compositio et sententiæ conformatio; nec non et Leonidæ optimo codice hoc adscribitur epigramma.

Nonnulla ἀδέσποτα Sidonii esse suspicari possimus, utpote quæ hujus epigrammata eadem de re in codicibus sequantur[1]; infirmum quidem argumentum, eo magis quod juxta multa variorum scriptorum eisdem de rebus carmina apposita sunt[2]. Quod ad epigramma XVI, 298, pertinet, quasi thema distichon hoc videtur, quod proximis epigrammatis — inter quæ ep. 296 (Ant. Sid.) — sit amplificatum. Unum tamen (IX, 729) in dubiorum numero repono, quia Sidonio in Planudeo codice tribuitur; quod lemma incertum videtur, præsertim cum Sidonii sint epigrammata 720-724 et 728.

Præter epigrammata Thessalonicensi codicibus adscripta, sed quæ, cum Meleagri Corona contineantur[3], ideo Sidonio sunt restituenda, sunt quæ, aliis adscripta, nostro tamen variis de causis tribui possint : IX, 321, et XVI, 248; quod tamen certissime statui non censeo :

Antimacho illud codice tribuitur (Pl. : ἀδέσποτον), cujus poetæ nullum aliud carmen in Anthologia exsistit; itaque Callimacho hoc tribuit Runkhenius, Antipatro Benndorfius et Settius; quo epigrammate Leonidam Tarentinum (IX, 320) noster imitatus esse videatur, quod sæpius evenit[4]; præterea oratio

1. VII, 7; — IX, 729; — XVI, 168 et 298 (cod. : ἄλλο aut ἄδηλον).
2. VII, 1-7; — IX, 713-742; — XVI, 159-168 et 292-304.
3. VII, 409, 413, 493.
4. Cf. IX, 322 et 323, etc.

cum Sidonii carminibus satis congruit[1], atque aliud epigramma[2] eadem de re — de qua longe quidem aliter sentit — ab eo scriptum est; sed tantum verisimile, non plane confirmatum est Sidonii hoc poemation esse.

Platoni autem hoc omnibus codicibus adscriptum est; id tamen memorans Plinius[3] Antipatro laudes rettulit, quibus Diodorum cælatorem poeta revera ornat; quod sic multi interpretantur[4], lemmate « εἰς σάτυρον Ἀντιπάτρου » in errorem inductum esse Plinium, epigrammatis scriptore pro signi artifice habito; verum ab utro sit Antipatro scriptum, vix dijudicari posse censeo[5].

Nonnulla contra epigrammata Sidonio, cui sunt codicibus adscripta, detrectanda visa sunt. Præter ea quæ Philippi Corona continentur ac Thessalonicensi tribuenda sunt[6], jure abjudicatur epigramma VI, 47, quo inhonestæ res exprimuntur, quod nunquam fit apud Sidonium[7].

Carmina VII, 172 et 303 temere abjudicat Kaibelius; prius, quod in eo interjective invenitur ἴδ' ὡς; at nonnunquam apud Sidonium verba hæc ita leguntur[8]; quod ad alterum pertinet, ne ullum quidem argumentum affert[9].

XVI, 167 idem Sidonio detractavit, quod in tertio versu non

1. Eadem est periodorum conformatio atque in ep. IX, 323, et XVI, 133, dorica multorum verborum figura, circumlocutiones et vocabulorum immutationes.
2. XVI, 178.
3. *H. N.*, XXXIII, 156 : « Antipater, qui Satyrum in phiala gravatum somno collocavisse verius quam cælasse dictus est. »
4. Imprimis Benndorfius, Jahnius (*Ueber die Kunsturtheile bei Plinius*, 1850), Settius.
5. Quod ad lemma « Πλάτωνος » pertinet, a scriba hoc fictum puto, qui animadverterit ep. IX, 826 de Satyro quoque ab eodem scriptum.
6. VI, 93; — VII, 625; — IX, 231.
7. Adversæ sententiæ ab eo sæpe exprimuntur (VI, 109, 111, 160, 174); adde quod oratio et dialectus cum Thessalonicensis carminibus magis congruunt; cui hoc epigramma libenter adscribo, neglecto incerto Meleagri Coronæ vestigio VI, 43-53. — Simili de causa suspectum habui ep. VII, 353, satiræ similius et simplicioris structuræ; sed certa est codicum lectio, et manifestum est nostrum hic Leonidam Tarentinum (VII, 455) imitatum esse.
8. Cf. VI, 219 (v. 23); — VII, 210 (v. 7), 498 (v. 7), 743 (v. 7). Adde quod ex elocutione Sidonio manifeste hoc tribuendum est.
9. Thessalonicensi item tribuunt, nulla ratione illata, Sternbachius VII, 246, et Benndorfius VII, 748; nihil est cur certissimum lemma mutetur, eo magis quod Meleagri Corona continetur VII, 246 (ex serie : 246-273).

reperitur constructio ἀπὸ κοινοῦ qua ille uti solitus est[1]; non vero semper ea utitur[2] (quæ alioqui facili emendatione restitui possit), et certissimum est lemma. Dubium tamen mihi videtur hoc epigramma, longe quidem diversis ex rationibus : quia plurima in quoque versu sunt vocabula, simplicissima structura et elocutio, denique lasciva oratio cum Sidonii gravitate parum congruens.

His adjungo epigramma XII, 97, quod Meleagri Corona continetur, Thessalonicensi tamen a Settio tribuitur, quod amatorium est carmen et mordax, simplex oratio, permulta verba, ionica dialectus; adde quod insulsis facetiis ornatur. Contra quæ dici potest inusitatæ rei descriptionem hoc potius esse quam amati laudes, et Eupalami collationem cum Achille plane congruere cum Sidonii epigrammatum oratione. Sed, cum firma sint argumenta prius illata, inter dubia carmina hoc relinquamus; quod ab alio Meleagri Coronæ poeta scriptum esse suspicor.

In summa, Antipatro Sidonio epigrammata LXXX tribuo, detrectatis quatuor carminibus inter ea (XLVI numero) quæ codicibus ei adscripta sunt, adjunctisque aliis XXXVIII :

VI, 10, *14*, *46*, 109, 111, 115, 118, *159*, *160*, 174, *206*, 219, 223, 276, 287; — VII, *2*, *6*, *8*, *14*, 15, *23*, *26*, *27*, *29*, *30*, *34*, 65, 75, *81*, *146*, *161*, *164*, *172*, 209, 210, *218*, *241*, *246*, 252, *303*, *353*, 409, 413, *423*, *424*, *425*, *426*, 427, 464, 467, 493, 498, 711, 713, 743, *745*, *748*; — IX, 58, *66*, 76, 151, 323, *407*, *603*, *720*, *721*, *722*, *723*, *724*, 728, 790; — X, *2*; — XVI, 75, 131, 133, 176, *178*, 296, 305; — præterea illud epigramma relatum a Diogene Laertio (VII, 29).

Quibus addo incerta duodecim :

VII, 232, 470, 705; — IX, 23, 25, 321, 729; — XII, 97; — XVI, 167, 175, 220, 248[3].

1. Τὸν δ' ἐνὶ Θεσπιάδαις γλυκὺν Ἵμερον, οὐχ ὅτι πέτρον,
ἀλλ' ὅτι κὴν ψυχρῷ πῦρ ἀδάμαντι βαλεῖ.

Πέτρῳ scripturum fuisse Sidonium asserit Kaibelius.

2. Cf. XVI, 131, v. 7, et infra, p. 85.

3. Sidonio tribuit Settius epigrammata LXXX, incertis septem relictis; Stadtmuellerus autem in quinto, sexto et septimo Anthologiæ Palatinæ capitibus, LII certa judicat incertaque duodecim (nos certa LIX, incerta tria).

CAPUT III

De carminum argumentis.

Ἐπίγραμμα Græci quæcumque litteræ lapidi inscribebantur, sicut artificis nomen in signo incisum aut in templo doni consecrationem, primo vocaverunt, deinde carmen — elegiacum præcipue — in sepulcro vel in templo vel in simulacro inscribendum; itaque generis scribendi cujusdam proprium hoc factum est nomen, ut poemata brevissima resque minimas tractantia, vel cum nusquam inscriberentur, dicerentur epigrammata. Quibus poetæ nobilissima Græcarum litterarum ætate maximos tantum viros celebrabant : constat pleraque Simonidis epigrammata, in honore scriptorum vel militum composita, pusillas esse laudationes funebres, et quasi publica carmina[1]. Tertio vero ante Christum natum seculo, ingens factus est numerus epigrammatum, quo in genere omnes Alexandrini poetæ se exercuerunt : qui singularum partium perfectionis curiosiores quam operibus amplioribus indulgentes, studiosissimi fuerunt hujus poeseos formæ, aptissimæ narratiunculis, quæ expedite inventæ, brevi elaboratæ, memoria facile tenebantur, ut inter urbanos viros poetarum fama celeriter diffunderetur; nam in honore maximo apud litteratos ea erat animi oblectatio, scilicet epigrammata de re qualibet componere vel audire, quorum alacritas omnibus temporibus, argumentis vocisque discriminibus se præberet. Præteritis

1. Cf. A. Couat, *La Poésie alexandrine*, p. 183.

amatoriis — plurimis quidem — carminibus, quovis de mortuo deflendo vel laudando, de opere describendo, de singulari facto narrando epigrammata scribuntur. Itaque, cum vixit Antipater, adeo trita et sæpe retractata ea materies erat, ut poetarum quisque, necessitate coactus, ea quasi vulgaria et in medio posita iterum repetere non dubitaret; neque furta se facere arbitrantur, verum e nova tantum res easdem exprimendi ratione inventio constat, seu subtiles argutiæ, sive artificiosæ collationes, sive curiosæ sententiolæ excogitantur. Ita reperiuntur in Anthologia permulta in Myronis vaccam epigrammata[1]; cui una semper et eadem laus tribuitur, scilicet vivam eam plane videri. Ad hoc fingunt poetæ pastorem, canem, vitulos, juvencos, asilos errantes; non a Myrone eam effictam contendunt, sed vixisse atque æream postea esse factam; apud alium eadem postulat ut abducatur. Recentiores quidem, meliora efficere conati, nimis exquisita nonnunquam vel putida vel arguta edunt; at in omnibus fere his scriptoribus inest elegantia quædam atque subtilitas, qua non solum communem hanc materiam propria induunt elocutione, sed etiam ingenii acumine tanto magis præstant, quanto recentius hoc studium est in litteris, atque magis nova est ea in scribendo cura illisque temporibus peculiaris. Quod ad nostrum pertinet, minime mirandum est poetam versus ex tempore proferre solitum in verbis inveniendis periodisque construendis præcipuam posuisse operam.

Itaque Antipater carminum argumenta plerumque ex aliis sumit, dum ipsum alii sæpissime imitantur[2]. Imitationis

1. IX, 713-742 (inter quæ Antipatri 720-724, 728 et fortasse 729). Cf. epigrammata in Homerum (VII, 1-7 et XVI, 292-304) et Anacreontem (VII, 23-33; — IX, 599; — XVI, 306-309), vel de consecratione a tribus fratribus facta, nomine Damide, Pigrete et Clitore (VI, 11-16 et 179-187), etc.

2. Ita conferenda sunt:

VI, 14	cum	11-16 et 179-187.
115	—	114 et 116.
174	—	288 et 289, mutatis nominibus.
206	—	207.
219	—	217, 218 (Alcæi), 220 (Dioscoridæ).
287	—	286.
VII, 2 et 6	—	1-7, et XVI, 292-304 (ἀδεσπότοις).
8	—	9 et 10 (Damageti).
14 et 15	—	16-17, etc.

autem duo sunt genera: modo enim amplior est materia, sive ex scriptoris laudibus, sive egregii viri epitaphio, sive artificis operum descriptione constat[1], ut novæ tamen sententiæ de rebus eisdem dici possint; modo magis exigua est, præcipue cum mirum narratur factum vel res describuntur minores[2], de quibus nihil proprii cogitari et exprimi potest, ut in compositione tantum novum aliquid inveniatur; strictius autem et exactius hoc imitationis genus.

Nonnunquam ut eisdem de rebus agitur, ita dissimillima est amborum epigrammatum oratio, vel longe aliter alter poeta sentit[3]. Interdum contra fit ut variis de rebus similis sententia sit[4], vel ratio componendi[5]. Sæpius autem pluribus plane idem est argumentum[6]; tunc solum in rei explicandæ ratione varietas exsistit[7], sive brevissimum efficere epigramma, sive

VII, 23, 26, 27, 29 et 30	—	23-33 (Simonidis, etc.); — IX, 599 (Theocriti); — XVI, 306-309.
34	—	35.
65	—	63-68 (Diogenis) et 480.
146	—	145 (Asclepiadis) et 147.
164	—	163 et 165.
218	—	219-220, etc.
252	—	248-254 (Simonidis, etc.).
353	—	455.
423-427	—	422, 421 et 428 (his Meleagri).
464	—	465.
467	—	466 et 468 (hoc Meleagri).
498	—	289, 290 et 550.
711	—	291, 292, etc.
713	—	11-13, et IX, 190.
745	—	714.
IX, 151	—	152-155.
323	—	322.
720-728	—	713-742.
X, 2	—	1-9.
XVI, 131 et 133	—	129-134 (hoc Meleagri); — XIV, 25; — VII, 386, 530 et 549.
167	—	159-168.
176	—	171-177.
178	—	179-182.
296	—	292-304, et VII, 1-7.

1. Præsertim in capitibus VII et XVI.
2. Præsertim in capitibus VI et IX.
3. Cf. VII, 23-30 cum XVI, 306-307; — VII, 745 cum 714.
4. Cf. IX 151 (de Corinthi ruina) cum 152-155 (de Trojæ exitio); — VII, 498 cum 289, 290 et 550; — VII, 711 cum 291 et 292.
5. Cf. VII, 423-427 cum 422 et 428.
6. Cf. VII, 23-33, et imprimis 1-7.
7. Cf. VII, 8 cum 9-10, — 252 cum 248-254.

splendidas translationes et ὑπερβολὰς creare poetarum quisque conatus est[1].

Etenim elocutione tantum epigrammata quædam persæpe inter se differunt, una sententia variis rationibus elata : hominem enim loquentem hic fingit; aliquem — aut aliquid — ille compellat. Notandum imitationes plerasque longiores esse quam exempla[2]; quibus addunt æmulatores vel collationem quamdam vel subtilem clausulam[3], aut descriptionem pro exili narratione faciunt[4].

Denique multis in epigrammatis ita priores imitantur poetæ recentiores, ut verbum quasi de verbo expressum efferant; eadem est compositio ac periodorum conformatio, verbaque tantum differunt[5]. Quod ad Antipatrum pertinet, Leonidam Tarentinum ita sæpissime imitatus est, dum Archias invicem nostrum secutus est[6]. Plerumque fit ut stricta sit imitatio, nec quidquam Leonidæ sententiæ noster adjiciat[7]; verum modo exemplum quasi ad verbum posteriores sequuntur[8]; modo contra propria est Antipatri elocutio — præsertim quod ad vocabulorum delectum attinet — atque componendi ratio[9].

1. Cf. imprimis IX, 713-742.
2. Cf. VII, 146 (et 147) cum 145; — XVI, 133 (et 134) cum 132, — XVI, 176 (et 177) cum 171, etc.
3. VI, 174; — XVI, 296, etc.
4. VI, 219.
5. VI, 11-16; — VII, 464-465, etc.
6. Ita conferenda sunt :

LEONIDÆ TARENTINI :	ANTIPATRI :	ARCHIÆ :
VI, 13.	VI, 14.	VI, 16 et 179-181.
VI, 288-289.	VI, 174.	
	VI, 206.	VI, 207.
VI, 286.	VI, 287.	
XVI, 306-307.	VII, 23-30.	
VII, 35.	VII, 34.	
VII, 67 et 480.	VII, 65.	
VII, 163.	VII, 164.	VII, 165.
VII, 455.	VII, 353.	
VII, 422.	VII, 423.	
VII, 466.	VII, 467.	
	IX, 76.	IX, 343.
IX, 322.	IX, 323.	
IX, 719.	IX, 720-728.	
X, 1.	X, 2.	X, 7 et 8.
XVI, 182.	XVI, 178.	XVI, 179.

7. Cf. X, 1 et 2; — XVI, 178 et 182; — VI, 286 et 287; — VII, 353 et 455.
8. Cf. VII, 163, 164 et 165.
9. Cf. IX, 322 et 323; — VI, 174 et 288-289. Magis affectatam esse Antipatri orationem infra demonstrabimus, p. 59.

Liberius igitur priores imitari solet Antipater; quorum carminibus vel sententiolas vel figuras vel formas scribendi novas plerumque addit; quæ tanto magis in epigrammatis præcipua sunt, quanto minoris momenti sunt argumenta; namque ubi rem parvam et quasi communem mutuamur, vix asseri potest hanc esse mutuationem. Quin etiam illi adeo parum in his rebus curæ inventio fuit, ut materiam unam pluribus carminibus tractare non dubitaverit[1]. Nunquam vero plane eadem repetuntur; ita de Homero tria scripsit carmina : quorum in primo (VII, 2) exempli (VII, 1) vestigia sequitur; in secundo (VII, 6) præterea miratur quam exiguæ sint tanti auctoris relliquiæ; in ultimo denique (XVI, 296), hanc addit sententiam, deum esse poetam, scilicet Calliopes filium, « patriamque illi esse magnum cælum. »

Qualia autem sint argumenta sic delecta, illud ex ipso loco apparet quem in Anthologia Palatina carmina obtinent; etenim dedicatoria sunt XV (cap. VI), sepulcralia XLII (cap. VII), demonstrativa XXII (cap. IX, X, XVI). Notandum neque amatoria neque irrisoria ulla exsistere; unde concludi potest et Antipatri gravius esse dicendi genus, neque facta ab eo referri ad ipsius vitam pertinentia, quod apud ἐρωτικοὺς et satiricos poetas fieri solet, sicut Meleagrum Gadarenum vel Antipatrum Thessalonicensem. Res illo tempore gestas rarissime narravit[2]; in regum et principum epitaphiis vel laudationibus, ambitiosis sane mercennariisque carminibus, parum videtur esse verus[3]. Quin etiam inter elogia tumulis insculpenda viginti circiter in maximis poetis versantur celebrandis vel deflendis; quæ non mortis eorum dolore, sed potius ingenii admiratione scriptoris menti injiciuntur; ut ea epigrammata, quamvis sinceram exponant sententiam, specie tantum, non re, sint epitaphia, atque per rhetoricam exercitationem hac forma commodissima induantur; quas laudes, sicut miranda facta

1. VI, 46 et 159 (de tubæ consecratione : in altero carmine tuba loquitur); — VII, 2 et 6, et XVI, 296; — VII, 14-15, et IX, 66; — VII, 23-30; — VII, 34, et XVI, 305; — IX, 58 et 790; — IX, 720-728; — XVI, 131 et 133.
2. VII, 493, et IX, 151 (de Corinthi exitio).
3. VI, 115; — VII, 241; — XVI, 75.

narrata, insolitam mortem explanatam, singularia dona descripta, acute dictis, ἀντιθέσεις aliisque tropis Antipater explicat, et manifestum est ea illum requisivisse et libentissime tractavisse, quæ ornatissime ac splendidissime scribendi materiam darent. Sæpius vero fit ut in hominum rerumque veritate carmina versentur : cum enim eximium signum vel tabellam votivam depingit et valde admiratur, fieri potest ut hæc in itineribus revera viderit ac sincere admiratus sit[1]; inter epitaphia quoque sunt quæ simpliciter videntur effecta[2]. Attamen, seu locos communes explicat, seu res a se ipso compertas refert, rarissime animi sui motus et affectus significandi occasionem in ejusmodi epigrammatis reperit; de vivendi genere Antipatri nihil nos docent ejus carmina, de moribus, mente et animo paucissima; qui artis disserendi adeo peritus fuit, ut disserere nunquam desierit, atque in ejus poesi minime appareat poetæ quasi apertum pectus. Ea tantummodo perspicere argumenta sic delecta nos sinunt, quæ scriptor de rebus hominibusque cogitavit; at num fieri potest ut tam levium carminum scriptor quæ gravioribus de rebus senserit aperte ac definite proferat? Certa Antipatri epigrammata, LXXX numero, DL versus continent; ideo tribus vel quatuor pleraque, multa duobus, nonnulla quinque ex distichis constant[3]. Intra quam mensuram necesse est plerumque satis habeat factum quoddam referre, unde modo nihil concludi videatur[4], modo sententia efferatur quasi tacite expressa : scilicet tubam eamdem non bellum tantum, sed pacem quoque celebrare posse, id est eosdem duplici officio posse fungi[5], vel simplicia dona

1. In capite XVI quinque sunt præclarorum operum descriptiones; cf. præterea IX, 58, 603, 720-724, 728.
2. Cujus rei exemplum edidit P. Perdrizet (*Mélanges Perrot*, p. 265) : qui monstravit, oscillo Tarentino examinato, epigrammate VII, 425 res veras describi, non ingenio poetæ inventas. At in epitaphiis et in consecrationibus permultas deprehendimus imitationes; quod epigrammatum quorumdam veritatem infirmat (VI, 14, 287; — VII, 164, 353, 423, 467); non enim fieri potuit ut plura carmina efficerentur ad eamdem inscriptionem. Alioquin epigramma VII, 353 ad inscriptionem esse compositum vix credibile est.
3. Novem ex uno, unum e sex, duo e septem, unum e duodecim distichis constant.
4. Cf. descriptiones donorum (VI, 14, 118, 223, etc.), vel monumentorum (IX, 58; — XVI, 176, etc.), septem Sapientum enumerationem (VII, 81), etc.
5. VI, 46 et 159; cf. 151 et 195.

idem atque splendidiora valere[1]; idem de mortis inopinatæ narratione[2], vel de vinolentiæ vituperatione[3], etc.[4]. Sæpe quidem in extremo carmine narratis vel descriptis e rebus vel e sermone habito præceptum colligitur, quod in omnia tempora transferri possit, ut epigrammata quædam quasi fabulæ fiant, admonitione ornatæ[5]; quibus brevissimis sententiolis asseritur, exempli causa, ad vivendum sine opprobrio victum e manibus parandum esse, vel « magistra necessitate inveniri liberationem ab Orco »[6]; at eo modo perplexas altissimasque sententias efferre minime licet; neque ordine perque partes dispicit noster vel exsequitur quidquid de mundo humanoque genere cogitaverit; quæ maxime placuerint, quibus rebus potissimum studuerit et indulserit cursim tantum significare solet, vel sponte interdum per narrationes ipsas hæc patefiunt, ut ea per conjecturam suspicemur potius quam plane comprehendamus.

Etenim, ut rerum summam relinquamus et ad exempla certiora veniamus, communes Græcorum deos interdum invocat, sæpe mentionem eorum facit; quorsum autem hæc pertinent? Ad poetæ religionem ingenue experiendam? Quod vix credi potest, nam μύθους a majoribus traditos omnes videtur accepisse, neque in minoribus suis carminibus eos perspexisse vel quæsivisse num probandi essent. At in descriptione donorum commodissime variatur oratio, cum deus compellatur[7] aut homines compellat : ita Martem Antipater loquentem fingit, quo acrius depingantur illius mores ac natura[8]. Multis autem modis stilus rebus μυθικοῖς ornatur, seu magis exquisita fit assentatio per comparationem quamdam[9], seu mirum Orphæi vel Homeri ingenium demonstrat Musarum descriptio illos deflentium[10]. Haud expertes quidem elegantiæ sunt eæ imagines,

1. VI, 109; cf. 111, 160, etc.
2. VI, 303.
3. VII, 353.
4. Cf. imprimis VII, 745 (ineluctabilem esse pœnam); — IX, 151 (mobilissimas esse res humanas), etc.
5. Imprimis VII, 172, et IX, 76.
6. VI, 174; — VI, 219; — cf. VII, 493, 498, 713, 743; — IX, 407, etc.
7. VI, 10, 276; — IX, 790, etc.
8. IX, 323.
9. VI, 115 : Philippus cum Hercule comparatur; — VII, 241 : mortuus Ptolemæus inter deos recipitur.
10. VII, 8; — XVI, 296; — cf. VII, 218 (de Laïde); — IX, 66 (de Sappho), etc.

sicut Nereides solæ post Corinthi excidium manentes, videlicet maris quasi σύμβολα[1]; rhetoris vero hæc sunt artificia, quibus Alexandrini, eruditissimos se præbere cupientes, nunquam potuerunt exsolvi. Notandum est uno in loco plane sinceram videri poetæ vocem, ubi nullum sontem contendit deorum judicium aufugere :

'Ιὼ φιλοκερδέα φῦλα
ληϊστέων, τί θεῶν οὐ πεφόβησθε χόλον...[2]

Gravior enim ei fuit indoles, etsi harum quæstionum parum curiosus fuit in scribendis epigrammatis, quam ut vere scepticus esse posset.

Extemplo enim, vel parum accurate legenti Antipatri carmina, apparet probissimum eum et simplicissimum esse; qui graviter neque ulla cum εἰρωνείᾳ bonos laudet. Rara quidem talia in Anthologia exsistunt : nunquam apud Thessalonicensem — exempli causa — ut apud Sidonium laudibus ornantur casti mores[3]. Itaque Diogenis probitatem ac temperantiam laudat[4], Hipparchiæ Cynicæ « gloriam » illustrat[5], Zenonem immortalem esse propter sapientiam contendit[6]. Domesticas autem virtutes plurimi facit : modo enim bonas matres familias[7], modo pudentes et modestas valde collaudat[8]. Bellicas quidem virtutes rarius laudat; patriæ amorem paucissimis locis patefacit[9], qui non Græca sit origine natus, atque eo tempore vixerit, quo Græcis minime jam Græcia cordi esset; itaque cum ruinam Corinthi deplorat, quamvis sincere illius urbis cum misereat, quasi interfecto cuidam capiti potius quam victæ patriæ illacrimatur. Fortitudinem vero plurimi æstimat; quam « per se præmium

1. IX, 151.
2. VII, 745 (de Ibyci morte).
3. Cf. VI, 160, 174, etc. Ea de causa Thessalonicensi tribuimus VII, 47, atque fortasse XII, 97. Laïdis quidem formam ac speciem tamquam marmorei signi vel pictæ imaginis laudavit, quia pulcherrima fuit, non quia meretrix; ei contra exprobrat quod corpus pretio vulgavit (VII, 218, v. 13 : δούλην θέτο κέρδεος εὐνήν).
4. VII, 65.
5. VII, 413.
6. D. L.
7. VII, 423, 424, 425, 743.
8. VII, 743; — XVI, 131 et 133.
9. VII, 246, 252, etc.

esse » affirmat[1]. Ne mortem quidem fortissimus quisque timet; qui, sicut Corinthiæ duæ, mavult perire quam servire[2]. Quæ communia sunt pleraque nec nova, sed honestissima, graviter et ingenue expressa; quod nostro magno est honori et ornamento, utique si cum ceteris Anthologiæ poetis vel ejus temporis vel posterioribus comparatur[3].

Quæ animi gravitas in epitaphiis præsertim est manifesta : nullus in eis est jocus, nihil de morte facete dictum; at contra vehementer sensit quam occulta res, quantum humanum intellectum excedens, quam tetra sit mors et digna quæ misericordiam moveat; itaque sepulcralia epigrammata propter mœrentem orationem pulcherrima inter ejus carmina numerantur. Hominum autem vitæ quanta sit vanitas non semel expressit :

...Ὅμηρον, ἀγήραντον στόμα κόσμου
παντὸς, ἁλιρροθία, ξεῖνε, κέκευθε κόνις.
...ἀντὶ δὲ σεῖο
στάλα καὶ κωφὰ λείπεται ἄμμι κόνις[4].

Quæ, etsi communes sunt loci, sæpius jam ante illum iterati, canora tamen et mæsta elocutionis lenitate præstant. Quam inopinate mors homines attingat multis epitaphiis demonstrare conatus est[5]; nunquam autem eam vitari posse persæpe nos monet, et ingenue ostendit quam dolendum sit quod non jam possit restitui[6]. Adolescentium præcipue mortem immaturam et tamquam immeritam deflere solitus est[7], atque

1. VII, 252. Ita virtutem Ajacis Ulyssis ingenio anteponit (VII, 146; — cf. IX, 156, Antiphili Byzantii); Aristomenem propter fortem animum laudat, cum plerumque omittat quale fuerit egregiorum virorum decus (VII, 161; — cf. VII, 246, 426, etc.).
2. VII, 493.
3. Adde quod vitia et mala communia vulgariaque nonnunquam vituperat : scilicet imprudentiam (VII, 172; — cf. Fontanum nostratem, II, 13), simulationem (IX, 407), vinolentiam, quæ reliquos animi affectus omnino restinguit; de qua unum est Antipatri carmen satiræ — gravi quidem ac severæ — simile (VII, 353).
4. VII, 6, 467; — cf. IX, 151, homines resque humanas labentes, cum sola permaneant elementa; quod gallice expressit J. du Bellay (ed. B. de Fouquières, p. 240).
5. VII, 172, 303, 498, 711.
6. VII, 8, 14, 29, 498, etc.
7. VII, 164, 303, 427, 464, 711 (cum ep. VI, 276 componendum); cf. IX, 407.

morte divulsorum dolorem vehementer ac sincere expressit, seu de matre juveni defuncta[1], seu de mortuo puero cui orba mater illacrimatur[2]. Quæ non alte scrutatur, verum quibus condicionibus ipse commovetur, de his legentes invicem conatur movere. Ad quod valent diversa stili artificia, hoc imprimis quo sermonis speciem carmen præbet, sive mortuum compellat ipse poeta[3], sive orbi ejus parentes. Ita non solum elocutionem variare licet — ut cum loquitur deus, vel statua, vel res inanima[4], — verum etiam gravius exprimere cum præstantis cujusdam operis vel inauditi facti admirationem, tum maxime sensus affectusque eorum quos loquentes inducit, mortis imprimis dolorem. Cujus rei unum afferemus exemplum matris filium deflentis :

« Ὤλετ' ἐμᾶς ὠδῖνος ὁ πᾶς πόνος ἐς κόνιν, ἐς πῦρ,
ὤλεθ' ὁ παμμέλεος γειναμένου κάματος·
ὤλετό θ' ἁ ποθινὰ τέρψις σέθεν...[5]. »

Notandum est interdum a mortuo efferri orationem[6], aut rarius dialogum inter eum et poetam haberi[7]. Quid autem hæc sibi volunt? Veteres Græcos constat mortuos in tumulo solitam quasi vivere vitam putavisse; qua opinione ratio redditur et picturarum et inscriptionum, quibus illi cum vivis loquentes finguntur; at jam dudum ex consuetudine tantum id fiebat; et apud Antipatrum mera sunt artificia, quibus minime explanatur propria ejus de animorum immortalitate sententia : si, ad laudandum Stesichorum, migrationi animarum in alia corpora alludit, plane temerarium foret ex eo concludere Pythagoræ doctrinam eum esse secutum[8]. Aliis in locis animi affectus permanere post mortem videtur existimare; quæ minime

1. VII, 164 et 464.
2. VII, 467.
3. VII, 23, 27, 29, 209, 210, 241, 424, 464, 467, 745. — Hoc tantum exempli causa referamus :

Ἴβυκε, ληϊσταί σε κατέκτανον κτλ.

4. IX, 323, et X, 2; — IX, 720 et 723; — VI, 159; — VII, 146 et 218.
5. VII, 467.
6. VII, 26, 172, 246, 413, 423, 425, 493.
7. VII, 164; — cf. VII, 161 (cum aquila in tumulo ficta poeta loquitur).
8. VII, 75 : [Στασίχορον]

οὗ, κατὰ Πυθαγόρεω φυσικὰν φάτιν, ἁ πρὶν Ὁμήρου
ψυχὰ ἐνὶ στέρνοις δεύτερον ᾠκίσατο.

ingenue dicta sunt — etenim similia vel de formica dixit[1]; — at ex eis occasionem sumit brevissimas descriptiones, vividas quidem et amœnas, componendi : ita cynicum — vel cynicam — depingit, baculo, pera, crassaque lacerna præditum[2], aut Anacreontis tumulum describit, hedera, floribus simplicibusque donis ornatum[3], aut ipsius imaginem effingit, lyram tenentis, corona cincti, vino madidi[4].

Itaque epigrammata Antipatri hac definitione designare licet, tenuia esse spectacula summatim exposita, in quibus una plerumque sententiola quasi eminet; quam claram potius quam altam efficere conatur. Plurima autem de maximis scriptoribus carmina composuit; litteras quidem gravem seriamque rem habet, et penitus sensit quantum sit ingenii pondus atque dignitas : quod immortale esse non semel profitetur[5], venerandamque semper juvenem poetæ vocem contendit[6]; atque, quod fere solum recentiores cogitaverunt, nullam habere patriam egregios viros asserit, omniumque hominum esse cives[7]. At quam vehemens ea sit admiratio potissimum exprimere tentat, nullamque admirationis suæ rationem afferre solet. Ita, postquam maximum poetam Calliopesque filium fuisse Homerum contendit[8], non altius rem perscrutatur; Pindarum autem lyricorum principem[9], Stesichorum Homerum alterum[10], Sappho poetriarum principem, immortalem, Musamque decimam vocare satis habet[11]; certius autem de illis judicium nullum facit. Duobus tantum de poetis quid cogitaverit exactius expressit : Erinnam enim laudibus effert, quod perpauca, sed insignia scripserit; cujus « brevitatem dicendique moderationem » verbosæ temporis sui scriptorum profluentiæ longe anteponit[12]. Antimachum

1. VII, 209.
2. VII, 65 (de Diogene), 413 (de Hipparchia).
3. VII, 23; — cf. VII, 30.
4. VII, 27; — cf. VII, 26 et 29.
5. VII, 14; — D. L., etc.
6. VII, 6.
7. XVI, 296.
8. VII, 2 et 6; — XVI, 296.
9. VII, 34, et XVI, 305.
10. VII, 75.
11. VII, 14 et 15; — IX, 66.
12. VII, 713.

autem post Homerum secundum fuisse asserit, ejusque versus nervis prædítos, diligenter elaboratos, canoros gravesque prædicat; qui « non calcatam et inaccessam viam » tentavit[1]. Itaque, si non plane manifesta fiunt quæcumque de litteris cogitaverit, nonnunquam tamen perspicimus quibus ingenii dotibus magis indulserit; inter quæ diligentiam gravitatemque primum tenere locum minime mirandum est.

Ad summam, quacumque humana de re agitur, describendi occasionem attulisse eam Antipatro asseri potest; qui etiam cum hortatur, describit : si Priapum inducit nautas ad proficiscendum excitantem, per eam speciem commotos maris fluctus depingit, et nidificantem hirundinem, et flores in pratis dehiscentes[2]. Etenim hæc poeseos forma plane congruit cum ea tenui cælatura, qua singulæ parvarum rerum partes diligenti manu exquiruntur. Itaque permulta descripsit aut artium monumenta, aut diversa spectacula. Raræ sunt in eo genere meræ descriptiones; at plerumque narrationis carmina præbent formam, eisque eventus explanantur de quibus pictum aut sculptum est[3]; in solvendis etiam ænigmatis nonnulla constant epigrammata, cum obscuram tabulam poeta explicat et interpretatur[4]. Verum, cum de magni artificis opere agitur, sententiam de eo effert, vel potius per ipsam descriptionem patefacere solet. Nonnunquam satis habet asserere pulchra esse monumenta, vel per collationem cum μυθικῇ re quadam ea laudare[5]; in statuis autem et picturis hoc semper decus plurimi facit, vitam eis clare ac plane exprimi, verisque ex rebus exempla sumi, quæ artifices ingenue secuti sunt, ut commovendis animis aptissima

1. VII, 409. Cf. fere eadem a Quintiliano (X, 1, 53) expressa. — Notandum est id epigramma epitaphii figuram minime præbere (cf. VII, 81); quod rebus de veritate epitaphiorium supra dictis (p. 29 sq.) addi possit.
2. X, 2.
3. Cf. VI, 219 : satis longa est narratio, videlicet explanatio picturæ cujusdam, quæ imprimis versibus 13-14 describitur :

ἀμφὶ δέ οἱ σμαράγει μὲν ἐναυλιστήριον ἄντρον,
ἄχει δ' ὑλάεις ἀγχινεφὴς σκόπελος.

Sin minus, hoc epigramma in eo Anthologiæ capite non reperiretur. Eamdem speciem præbent multa epitaphia, scilicet VII, 172, 210, 464, 467, 498, etc.
4. VII, 423-427; veras res his carminibus exprimi jam monstravimus, p. 30, n. 2.
5. IX, 58, 790; — cf. XVI, 178, v. 5-6.

eorum opera fierent. Quod de Myronis vacca jam comperimus; idem de furentibus Bacchis, chorum ducentibus, et instrumenta vel ornamenta e feris sumpta quassantibus[1]; idem de Venere ex unda emergente, crines manu ita torquente, ut spuma stillare videatur[2]; idem de Niobe, cujus dolor, etsi mutata est in lapidem, in vultu et habitu manifeste apparet[3]. Ea maxime de causa narrationes fiunt pro descriptionibus : nam quasi agentes personas effingere poetæ libet[4].

Etenim humanæ vitæ, animo, cultui tantum studuit: rerum naturam rarissime depinxit[5], cum humanam industriam vehementer sit admiratus[6]; animalium interdum curiosus fuit[7], nam omni Alexandrino poetæ bucolicum aliquatenus est ingenium; at ea plerumque inducit ut cum hominibus per ἀλληγορίαν comparentur[8]. Quæcumque autem ad hominum vitam pertinent, quotidianam præcipue ac simplicissimam, digna nostro videntur, quæ celebrentur carminibus : etenim communia et vulgaria hominum instrumenta vestesque describit, pauperum præsertim, a quibus consecrata dona versibus libenter exsequitur[9]. Quorum mera enumeratio commodissimum est genus describendi, vel apud nostrum præstantissimum; nam res quædam nominatim tantum appellatæ, eæ præsertim, quas variis operibus opifices quotidie adhibent, in dedicationibus numeratæ communem ejus temporis vitam commemorant et evocant; ad quod una sæpe vox satis est, dummodo subtiliter delecta sit, apteque in lumen prolata. Ita venatoris mores per meram machinarum descriptionem quasi

1. IX, 603.
2. XVI, 178, v. 1-4 : de Apellis pictura agitur. Carmine XVI, 176, non minus expresse describitur aliud ejusdem signum, scilicet armatæ ac vere Spartanæ Veneris.
3. XVI, 131, 133. In hoc epigrammate exactius explicatur Niobes et ejus puerorum statuarum conjunctio.
4. Simile quiddam de carmine VI, 276, notandum est : pro vittarum consecratarum descriptione, virgo effingitur eas exsolvens.
5. Veris descriptionem (X, 2) jam rettulimus.
6. VII, 748; obscurum quidem corruptumque carmen, non proprio loco in Anthologia situm.
7. Cf. VII, 209 et 210, formicæ et hirundinis epitaphia.
8. VII, 161, 425, 426, 713; — cf. VII, 65, cognomen σοφοῦ κυνός Diogeni adhibitum.
9. VI, 14, 109, 111, 160, 174, 206 : agrestium instrumentorum vel domesticorum consecrationes.

deprehendimus, scilicet retis, pedicæ, laqueorumque et cavearum, palorum et visco madentis arundinis[1]; eadem ratione virginis figura nobis apparet, ornatæ sandaliis, reticuli, flabelli, velaminis, aureique serpentis[2]. Quibus carminibus quasi tacita inest divitiarum contemptio, modicæ contra vitæ, laboriosæ et præsertim honestæ, respectus; ejus enim ætatis scriptores plane senserunt liberis viris vel mulieribus « nihil turpe », secundum Hesiodi sententiam, « inesse labori »[3]. Adde quod Alexandrini poetæ nunquam parvi fecerunt hominis vitam, quisquis ille fuerat; haud semel jam notatum est illos, Callimachum imprimis, non egregiorum modo et divitum, sed pauperum etiam et humilium epitaphia composuisse; a qua ratione non abhorruit Antipater, cui parvi et debiles maxime cordi fuerunt; in adolescentium tumulos epigrammata composuisse cum jam comperimus; quin etiam infantium, vel servorum, mortem deflere non omisit[4]; eodem studio quo Venerem de Laïde Virtutemque, lugubri veste indutam, de Ajace lugentem effinxit[5], parentes quoslibet inducit pueris illacrimantes[6]; nam quanto minoris momenti fit respublica, tanto majoris hominum quisque æstimatur[7].

Quo tandem pertinent omnes illæ narrationes et descriptiones et enumerationes et compellationes et dialogi et collationes præsertim[8], quibus Antipatri epigrammata constant? Parum ea valere animadvertimus ad disserendum vel disputandum, quæ magis ad illustrandam sententiam idonea sint, quam explicandam; quin etiam asseri potest poetam minus ad ea, quæ cogitaret, exprimenda scripsisse, quam cogitata eo proposito protulisse,

1. VI, 109; — cf. VI, 14.
2. VI, 206; cf. quæ de Diogenis, Hipparchiæ, Anacreontis epitaphiis supra diximus.
3. VI, 174 (virginum trium textricum dona), v. 7-8 :

Ζώειν γὰρ δίχα παντὸς ὀνείδεος ἤθελ' ἑκάστα,
ξεῖνε, τὸν ἐκ χειρῶν ἀρνυμένα βίοτον.

4. VII, 303; — IX, 407.
5. VII, 218, 146; — cf. VII, 241, de Ægypto mortem Ptolemæi deflente.
6. VII, 467, 711, etc.
7. Cf. A. Couat, *La Poésie alexandrine*, p. 183.
8. Cf. VII, 713; — XVI, 305 (laudationes per collationem), etc. Putida nonnunquam sunt hæc artificia, cum homines vel artis opera cum insolitis vel parum propinquis rebus conferuntur.

ut ornatos ac splendidos versus ederet. Cum singularum partium perfectionem potius affectet, quam totius operis magnitudinem, præcipuam scribendi virtutem in eo residere censet, quod scripta omnibus numeris absoluta sint et consummata, et quasi ad unguem polita. Ita fit ut pæne inania sumpserit quædam argumenta, non quod socors horumque incuriosus fuerit; qui contra in scribendo semper fuit religiosissimus, neque levem jocum esse poesim, sed gravem artem putavit. At illi placent quæ nobis inepta videantur; inter ejus epigrammata nonnulla, gallice translata, plane fastidiosa fiunt[1]. In eis tamen subtilior inest sensus, acrius judicium; hoc præsertim noster animo percepit, quid valeant ad hominum figuram vel spectaculum quodvis quasi insculpendum aut coloribus ornandum voces canoræ vel commode compositæ, imaginesque ingeniose vel acute repertæ. Eadem ratione temporis illius artifices non jam ampla vel grandia spectacula ante oculos ponere solent; non Jovem fulmen emittentem, non Herculem belluam sternentem imitantur, sed puerum Apollinem lacertas captantem; quo artis genere res minores ideo certe majoribus præponuntur, quod magis aptæ sunt ad scrupulosam hanc cujusque partis perfectionem, quæ a seculo quarto, præsertimque Alexandrinis temporibus, Græcos delectavit; qua remota, eorum opera vilia ineptaque viderentur. Quod ad epigrammatum scriptores spectat, adeo tenuibus utuntur argumentis, ut nihil ea per se valeant; at si elocutioni speciosæ materiam præbent, per hoc ipsum unumque valent. Quæ argumenta exigua atque omnibus poetis communia induere nova et propria oratione, decus est eo insignius, quo de magis tritis rebus agitur et veteriora renovantur. At alia fuit Antipatro in eis deligendis cura : nolimus oblivisci alienas res eum semper exponere, neque ad proprios animi affectus exprimendos scribere, itaque clarum hujus rationis ac disciplinæ exemplum præbuisse quam recentiores « artis pro arte » dixerunt, id est cui operum pulchritudo unus est finis unumque propositum. Sic igitur maxime argumenta et deliguntur et

1. Cf. imprimis IX, 407 : puer cum ad mare bibit, sicut ad matris sinum, moritur.

explicantur, ut dicendi solertiam plane ostendant, occasionemque præbeant omnes ingenii vires expromendi et in lucem efferendi. Itaque, ut apte intelligamus quamobrem Antipatro minimis eis rebus mentem adhibere libuerit, et quam aptum ad inveniendum nihilominus fuerit ejus ingenium, perspiciendum est quomodo in ea materia vim eloquendi exercuerit, qua excellat oratione, quali lingua, qua versuum componendorum solertia.

CAPUT IV

De oratione.

Cunctorum Anthologiæ carminum duo sunt genera, quæ elocutionis ratione ac virtutibus valde inter se differunt. Modo enim simplicius scripta sunt, propterque ipsam hanc simplicitatem probanda, scilicet orationem quasi nudam ideoque sinceram, vel ea quæ poeta sentit atque cogitat ingenue et candide expressa, vel sententias subtiliter et acute prolatas; cujus rei exempla sunt imprimis Meleager, prosæ scriptori similior, Leonidasque Tarentinus, a cujus epigrammatis vehementer in eo nostri differunt imitationes, et Tessalonicensis Antipater, cujus carmina præsertim elocutionis ratione a Sidonii carminibus discernenda vidimus. Modo contra minimis rebus maximorum operum stilum scriptores adhibent, ut grandis oratio affectetur, bene sonantia sint verba, splendidæ sermonis figuræ, magnifica periodorum conformatio, atque cum argumentis parum elocutio concordet.

Huic generi profecto annumerandus noster videtur, cum et minoris momenti sint apud eum expressæ res quam eas exprimendi ratio, et ex rhetoricis narrationibus hæ res constent atque animadversionibus quæ in omnes incidant; quæ ut sententiolis simplicibus acutisque parum aptæ sunt, ita cum alterius epigrammatum generis grandi gravique elocutione plane congruunt. Itaque epicorum lyricorumque carminum elocutionem noster imitatur, prosam vero levemque poesim minime sequi solet, eaque non solum in verborum delectu, sed in eorum

compositione quoque, et in sententiarum conformatione, denique in universo dicendi genere, quod verbis, locutionibus figurisque scriptori peculiaribus efficitur.

I. *De verborum delectu.* — Duobus e fontibus verba sumere noster potuit, et e communi vulgarique sermone, et, e poetarum operibus; in tria autem genera hæc sunt dispertienda, scilicet verba ex epicis — Homero et Hesiodo imprimis —, e lyricis ac tragicis atque ex Alexandrinis sumpta.

Rarissima sunt apud Antipatrum verba sermoni communi propria; qui ferme non simplici nomine quamque rem appellat; quod fere tantum in donis enumerandis accidit[1].

Homerica sunt plurima vocabula; si quid vel describit vel notat, epicis similiores sunt et figuræ et sententiæ, ut quasi sponte verba epica semper usurpet. Quæ tam multa numerari non possunt, quod alioqui nihil proficeret; animadvertendum vero nostrum etiam ad simplicissimas res exprimendas homericis vocibus esse usum[2].

Raræ sunt voces, quas, ab Homero non usurpatas, e lyricis tragicisque sumit. Etenim cum non simplicissima res homerico sermone exprimitur, novum quoddam plerumque enuntiatur vel factum vel cogitatum, ut verba nova, id est ab Alexandrinis vel ab ipso Antipatro ficta, potius adhibeantur. Itaque perpauca exsistunt apud nostrum Attico sermoni propria vocabula[3]; paulo plura sunt quæ a Pindaro Tragicisque mutuantur[4], adjectiva præsertim; e quibus unum secernendum visum est, scilicet μελίφωνος, quod, e Sappho sumptum[5], ipsa de Sappho adhibetur.

1. Ἄρκυν (VI, 14), σάνδαλα (VI, 206), ῥιπίδα (ibid.), et verba communia simul atque homerica, scilicet δίκτυα, σάλπιγγα, φόρμιγγα, τόξα, etc. — Cf. XVI, 133, hæc verba prosæ propria : σπαίρει, ἐπικρέμαται, ἔστρωται.

2. In tribus tantum epigrammatis, scilicet VII, 172, 467, 498, ea reperiuntur homerica nomina : νέφος, κῦμα, ἔνεροι, ἐπιβήτωρ, μόρος, — et verba : τιταίνειν, πλάζεσθαι, γοᾶν, ἰάχειν, ἠμύειν, δαῆναι. — Cf. VI, 219, 223, etc.

3. Ἠκίσατο (VII, 241), πλάθειν (IX, 323), θῦμα (XVI, 131), νοτερῶν (XVI, 178) tantum referenda invenio.

4. Πετηνῶν (VI, 14; — cf. Æschl., Eur.), ὑποφᾶτιν (VI, 46; — cf. Pind.), γηραλέον (VI, 109; — cf. Pind., Æschl.), ζαπληθές (VII, 75; — cf. Æschl.), ἀνοικτίρμων (VII, 303; — cf. Soph.), μελαμπέπλων (VII, 745; — cf. Eur.), στερνοτυπῆ (VII, 711; — cf. Eur.), εὐυφέα (X, 2; — cf. Soph.).

5. In loco a Philostrato (p. 811) relato.

Quæ ab Alexandrinis verba mutuatur, a paucis usitata, novas res aut cogitationes exprimunt, vel diversarum rerum conjungendarum rationem quæ non antea concepta sit, vel imagines nuperrime inventas. Inter quæ plurima sunt adjectiva, nonnulla derivata[1], pleraque autem composita : quorum maxima pars ad describendum valent[2], cetera quamdam animi speciem exprimunt[3]; permulta autem ex eis in Anthologia tantum invenimus. Ita, duabus copulatis vocibus, novam aliquam rationem aliquid enuntiandi vel notiones duas componendi Græci creare solent; dein fit ut veteribus vocabulis recentia succedant; quæ, tamquam ad viam minus tritam investigandam, poetæ libentius usurpant, ut simpliciorum locum obtineant illæ locutiones, nimis exquisitæ interdum ac putidæ[4]. Quæ species orationi adhibetur communium quoque verborum rarioribus formis novisque significationibus.

Ita multis vocabulis minus usitatam terminationem per affectationem antiquitatis adhibet, raro quidem verbis[5], pluribus autem nominibus, in quibus, exempli causa, terminationes -τηρ et -της invicem usurpare solet[6], atque adjectivis permultis, ut cum Κυθηριάδι pro Κυθηρείᾳ vel χρυσείων pro χρυσέων scribit[7].

In compositis quibusdam adjectivis vocabuli prioris formam eadem de causa paulum mutavit, qui hæc scripserit :

φιλοεργός (VI, 160 et VII, 423) potius quam φιλεργός,
συνομήθεις (VI, 206) potius quam συνήθεις,
νεηγενέων (VII, 210) potius quam νεογενῶν,
κεραοῦχον (VI, 10) potius quam κεροῦχον.

1. Γλυπτός (VII, 409 et 424), θηγαλέος et σκοπιήτας (VI, 109), ἀραχναῖος (VI, 206), ἱππαστήρ (VII, 424).

2. Τριέλικτον et ἀμιφρρῶγας (VI, 109), εὐκρέκτους (VI, 174), κηρόδετος (XVI, 305), ὀρειονόμων (VI, 14), λιπόπνους (XVI, 133), καλλικέρων (IX, 603), μουνόγληνος (VII, 748), etc.

3. Ὑμνόπολος (VII, 409), μελεδήμων (VII, 425), φιλάβουλος (XVI, 133).

4. Exempli causa verbum ἀνιάχειν (XVI, 296) et nomina λαιμοπέδαν (VI, 109), βοοκτασίαν (VI, 115), χοροστασία (IX, 603).

5. Νίκημι pro νικάω (VII, 743), δρέπτομαι pro δρέπομαι (VII, 218), ἀερτάω pro ἀερτάζω (VI, 223); cf. homericas dictiones πευθόμενοι, γειναμένου, πίτνατο, ἥλποντο, etc.

6. Ναετήρ (VII, 409), verum Σαώτεω (IX, 603). — Cf. βάρβιτον (VII, 29), ἄλωνι (VII, 209), δουλοσύνας (VII, 493), τιθηνήτειραν (XVI, 296), etc.

7. Cf. θαλασσαίη (VI, 223), πότνα (VI, 287), Κεκροπίς (VII, 81), ἄστιβον (VII, 745), τριτάτα (IX, 603), λωΐτερος (VII, 713), Τριτογενές (VI, 10), ἁλουργίδι (VII, 218), etc.

Denique notandæ sunt recentes quædam dictiones, in quibus littera ν vel σ, finem verbi faciens, cecidit; quas a vulgo sane usurpatas, ideoque raras apud religiosissimos scriptores, profecto ut insolitum quiddam et hoc ipso mirandum proferret, noster in carmina recepit[1].

Eadem ratione minus usitata vis verbis quibusdam adhibita ingenium denuntiat quod levibus in rebus sit intentum; propter quod sæpe perplexus fit confususque ac minus certus sententiarum intellectus. Nonnunquam incorporale nomen haud secus atque concretum valet : scilicet γάνος (VII, 26) non jam *splendorem* sed *vinum*, πῆμα (VII, 172) non jam *malum* sed *nocens animal*, id est *anguem* significat. At contra verbi ὀφρύς (VII, 409) de *supercilio* ad *superbiam* sensus deducitur; idem de verbis κάματον (VI, 206) et μόχθον (XVI, 178) fit, quibus non *labor*, sed *opus* significatur.

Cum autem ad unum quiddam exprimendum generalis locutio adhibetur, vel cum contrarium fit, tum quoque incertam orationem faciunt hæc parum proprie, consulto quidem, dicta; modo enim res exprimenda verbis usurpatis non plane ostenditur, modo singularis quædam res pro communi notione indicatur. Ita cum νόημα pro νόος (IX, 603), tum νόος pro νόημα (VII, 424) scripsit, aliaque permulta ejusdem generis[2].

At plerumque communia vocabula pro aliis, communibus quoque, usurpat, cum inter ea cognationem quamlibet invenit; ita pro *flexibili* ἀγκύλος (VI, 118), id est *uncus*, dixit, — pro *doloso* σκολιός (VII, 29), id est *tortus*, — pro *ripa* λάγων (VI, 287), id est *latus*, — pro *instrumento* ἔργον (IX, 603), id est *opus*, etc.[3].

Cujus rei exempla plurima enumerare cum fastidiosum foret, satis habebimus deorum nomina referre pro eorum

1. Ἄπωθε (VII, 172), ἔμπαλι (VII, 743), δισσάκι (VI, 223); verum ἑπτάκι (XVI, 133) pravam lectionem esse reor.

2. Incerta vocabula sæpe certiore significatione adhibentur, scilicet κεραύνιος = rapidus ut fulgur (VI, 115), βάρβαρος = Tyrrhenus (VI, 46), πεύκα = fax (VII, 711), σίδαρος = gladius (VII, 493), δυσμενέες = hostes (VII, 426), κλίνεσθαι et οἴχεσθαι = interire (VII, 493 et 464), etc. — Certiora contra vocabula minus certa significatione, scilicet ἦμαρ = vita (VII, 14), θριγκοί = domus (IX, 323), θυμέλαι = feriæ (VI, 46), παλάμα = manus (VII, 241), θάλαμοι = patria (VII, 34), ἴχνος = pes (VII, 303), etc.

3. Haud secus fit de verbis ac de nominibus : sic ad significandum *præterire*, ἀμείβειν (VII, 26) usurpat; idem *ædificare* per verba κτίζειν (VII, 209), id est *condere*, et φυρᾶν (VII, 748), id est *subigere*, indicat.

insignibus expressa, scilicet Ἀΐδης pro morte (VII, 25, etc.), Ἀφροδίτη pro pulchritudine (VII, 218), atque pro vino Βάκχος (VII, 353). Ita novissimæ fiunt locutiones, quæ legentis animum in se vertunt; sæpe vero nimis sunt affectatæ, et quasi manu factam esse orationem sentimus, cum vocabula varietatis studio tantum mutat.

Omnes quidem poetæ rationes novas inter diversas res effingere conantur, imprimis autem Antipater; quod apud recentissimos persæpe accidit. Itaque permulta vocabula ipse creavit; quæ certissime numerare difficile foret, cum discernere minime possimus num omnia ipse effinxerit verba, quæ apud priores non inveniamus; quod vix etiam credi possit. Quodsi tamen ea perpendimus quæ aut nusquam alias — ἅπαξ εἰρημένα hæc nominantur — aut apud posteriores tantum scriptores inveniuntur, qui e nostro vel eodem e fonte hæc sumpserunt, cognoscemus et quale vocum genus maxime dilexerit, et ad quas notiones exprimendas vocabula eum maxime defecerint, ut nova ei creanda essent. Perpauca quidem verba, composita pleraque, quibus simplicis formæ certior fit significatio; quod apud omnes Græcos scriptores est frequentissimum[1]. Plura autem nomina, quorum revera pleraque adjectiva sunt pro nominibus usurpata, permultaque adjectiva. Inter quæ nonnulla sunt per terminationes derivata magis a recentibus quam a veteribus usitatas[2]; deinde præpositionibus vel aliis præverbiis informata[3]; denique plurima duobus e verbis composita, quibus duæ notiones vel imagines ita coagmentantur, ut non utraque res, sed eorum collatio,

1. Ἐπείσθορε (VI, 219), ὑπεκδέχεται (IX, 722), ὑπερίαχεν (XVI, 305), ἀποσταλάων (VII, 27), ἀπωΐστευσεν (VII, 743), ὑπερέκραγε (XVI, 305). — Cf. derivatum verbum προτονίζετε (X, 2).

2. Imprimis -της ac -τις, -τηρ ac -τειρα, etc.; exempli causa : ἀγρότιδι (VI, 111), ἐρημωτάν (VI, 115), νασῖτις (VII, 2), ἐνδεκέτις (VII, 164), περονήτιδες (VII, 413), σταλάτιδι (VII, 424), ἀγέτιν (VII, 425), πιτανάτιδι (VII, 711), ποινῆτις (VII, 745), ἐνορμίτας (X, 2); — χερμαστῆρος (VII, 172), διασφακτῆρι (VII, 493), οἰστευτῆρ (VI, 118), καλύπτειραν (VI, 206), ἁρπάκτειραν (VII, 172), οὐτήτειρα (ibid.), κολάστειραν (VII, 425); — θαλπτήρια (VI, 206), κλαγερῶν (VI, 109), ῥομβητούς (VI, 219), ἀρρίγητος (ibid.), γριπηΐς (VI, 223), χαλκευτόν (VII, 409), οὐλάς (VII, 413), δμωΐον (IX, 407), εὐϊάδι (IX, 603), Ἀπελλείου (XVI, 178), βροχίδων (IX, 76), ἐσχαρίου (VII, 210).

3. Imprimis ἀμφι-, ἀ-, εὐ-, etc. : ἐφάλικος (VII, 427), πανάφθιτον (VII, 14), ἀμφίβροχος (VII, 27), παμμέλεος (VII, 467), ἀμφίδρυπτα (IX, 323), ἀμφικλάστου (VI, 223), ἀφόρυκτα (IX, 323), ἁπλόκαμος (VII, 146), εὐσπειρῆ (VI, 206 et 219), εὐστροφάλιγγα (VI, 219), εὐψαμάθου (VI, 223), εὔπλοκον (VI, 160 et 206), etc.

nova sit. Quorum longitudo interdum cum sensus amplitudine congruit, ut in compositis ex εὐρυ– et βαθυ–[1]. Hæc autem adjectiva modo corporis[2], modo animi[3] habitum aliquem exprimunt, videlicet simplicissimas notiones, quæ tamen rarius uno verbo enuntientur[4].

Hoc igitur peculiare habet Antipatri oratio, quod plurima exsistunt ἐπίθετα, pleraque duobus e verbis composita. Ejusdem autem generis ea sunt quæ a prioribus mutuatus est, atque ea quæ creare ipse potuerit. Longa enim et sonora sunt apud eum composita ἐπίθετα, graviora quidem, verum ad describendum maxime idonea[5]. Quæ modo situm[6], modo corporis habitum vel temporalem vel sæpius perpetuum[7], modo animi affectum indicant[8].

Quodsi ἐπίθετα non quid per se ipsa valeant, sed quid addant virtuti nominis perspicimus, comperiemus ea vel illius habitum quemdam, ad corpoream naturam pertinentem, in lucem proferre, vel ad describendum valere, vel mores aut animum alicujus demonstrare. Inter quæ genera, hæc duo maxime ut patefaciunt scriptorem nova posse reperire, ita legentis mentem in se convertunt; eis enim vel imago vel notio aliqua vehementius exprimuntur. Scilicet grues his verbis optime depinguntur : γέρανοι κλαγεροί (VI, 109) et ὑψιπετεῖς (VII, 172); soli

1. VII, 413, 748, etc.; cf. composita ex ἰσο–, πολυ- et numerorum nominibus δι–, τρι–, τετρα–, etc.

2. 'Ορειδρομίη (VII, 413), χαμαιλεχής (ibid.), ἐγερσιμάχας (VII, 424), ἀπειροτόκου (VI, 10), etc.

3. Παυροεπής (VII, 713), θυμοβαρής (VII, 146), βαρυπενθήτους (VII, 743), et composita ex adjectivo φίλος (VI, 160, 206, etc.) atque ex verbo φεύγειν (VI, 10, 276, etc.).

4. Hæc referenda manent : χαλκοπαγῆ (VI, 46), νευροτενεῖς (VI, 109), ἰχνοπέδαν (ibid.), δεράγχας (ibid.), πολυρροίβδητον (VI, 160), γυιοπαγεῖ (VI, 219), χοροιθαλέας (VI, 287), νυκτίλαλος (VII, 29), σταχυήφορος (VII, 209), νεοσσοκόμοιο (VII, 210), ἠλιτόεργος (ibid.), σταλοῦργος (VII, 423), οἰνόπληξι (IX, 323); quibus ἅπαξ εἰρημένοις hæc addenda sunt, a posterioribus tantum usurpata : δεραιοπέδαν (VI, 14, et IX, 76), ὀξυπαγεῖς (VI, 109), λυσσομανεῖς (VI, 219), θηλυχίτων (ibid.), ἀλιπλανέος (VI, 223), ἀλιζώνοιο (VII, 218), ἀνδρομάχοις (VII, 241), ὀϊστοβόλος (VII, 427), λινοστασίας (IX, 76), ἀοιδοπόλων (XVI, 75).

5. Ex Homero sumptum est hoc artificium. — Notandum sæpe hæc adjectiva idem valere ac totum propositum ; exempli causa : πολύμυθος = ὃς πολλὰ μυθεῖται, — ὀρειονόμος — ὃς ὄρεα νέμει, etc.

6. 'Υψιπετής (VII, 172), ἀγχινεφής (VI, 219), εὐρύπεδος (VII, 748), etc.

7. Μελάμπεπλος (VII, 745), μουνόγληνος (VII, 748), πολύθριξ (VII, 276), ἐρίμυκος (VI, 219), etc.

8. Πολύμυθος (VII, 423, etc.), μεγαυχής (VII, 427), φιλάκρητος (VII, 353), aliaque adjectiva e φίλος composita.

vero habitus plane sic ostenditur : δάπεδον αἰθαλόεν (VII, 75), κόνις δνοφερά (VII, 241)[1], λειμῶνες πορφυρέοι (VII, 23), etc.[2]. Ad mores quoque ac mentem adjectiva pertinentia Homeri ἐπίθετα in memoriam revocant, ut γλυκύς aliaque similia[3], vel multa tristitiam exprimentia[4]; alicujus autem naturam vel ingenium uno verbo sic effingit, scilicet ἀκάματος 'Αντίμαχος (VII, 409), γοργὸς ῎Αρης (VII, 493), 'Αΐδης ἄλκιμος (ibid.), ληϊστέων φιλοκερδέα φῦλα (VII, 745), etc.

Plurima vero sunt alterius generis ἐπίθετα[5]; quæ nonnunquam ad certum quoddam tempus pertinent, ut aliquid sententiæ addant[6]; at plerumque perpetuam rei vel hominis naturam exprimunt, nec novi quidquam nomini adhibent, verum quiddam illi semper proprium dilucide notant atque illustrant. Itaque ad id fere solum tum valet ἐπίθετον, quod eo nomen quasi producitur; illique id addere paulatim assuescunt poetæ, nec certior fit sensus; at amplificatur elocutio magisque fit canora, ut ad augendos numeros potius quam intellectum talia ἐπίθετα pertineant. Quod artificium, epicis proprium, hoc habet vitii, quod vocabula nimis multa congeruntur, turgidaque sæpius fit oratio, nec satis exacta[7].

II. *De verborum compositione.* — Quodsi cum vocabulorum delectu ea plane congruit atque ad eadem efficienda pertinet, epicæ multæ locutiones ac tropi reperiendi sunt. Sæpe autem non revera tropus adhibetur, at ea verba copulantur, quæ conjungi posse vix putaverimus; insolita ratione res notantur, quo clarius animadvertantur. Nonnunquam incorporalis

1. Cf. VII, 467 : κόνις κωφά.

2. Cf. adjectivum θαλερόν, adolescentibus adhibitum (VII, 464; — IX, 76), etc.

3. Νόμος εἰράνας γλυκύς (VI, 159), γλυκερὴ κιθάρη (VII, 29), λιμένα γλυκύν (VII, 498).

4. 'Αλγεινός et ἄλγιστος (VII, 711 et 745; — XVI, 131), παμμέλεος (VII, 467), βαρύς (XVI, 133), etc.

5. Cum describentia duo moraliaque tria, tum quinque hujus generis exsistunt.

6. Λίνα πλεκτά (VI, 118), δράκων εὐσπειρής (VI, 206), ἁβρὰ πέταλα (VII, 23), πλατὺς δόμος (VII, 241), etc.

7. Cf. imprimis VI, 223, atque inter cetera : ψυχραὶ νιφάδες (VII, 498), οὐράνια νέφεα (VII, 748), ἀπειρότοκος παρθενίη (VI, 10), λεπταλέος στάμων (VI, 174), σάλπιγξ χαλκοπαγής (VI, 159), μέγας οὔρανος (XVI, 296), etc. Quod apud nos peculiare quoque habet imprimis V. Hugo.

dicendi forma tantum pro concreta usurpata miram efficit elocutionem oculosque tamquam movet, ut in hoc versu (VII, 210) :

ἥριπεν ἐσχαρίου λαβρὸν ἐπ' ἄσθμα πυρός[1].

Quæ temere mutari videntur; contraria vero constructio plurimum ad ornandam orationem valet : namque ut demonstret quam incerta et fortuita sit hominum vita, κυβευθὲν πνεῦμα hanc vocat (VII, 427); ut mæstissimam cantorum vocem significet, eos ἀχέων ἀλκυόνες nominat (IX, 151)[2].

Non semel fit ut homini cuidam nomen adhibeat rem aliquam significans; qua ratione propria ejus indoles ac natura breviter in lucem profertur; quod exempli causa de Anacreonte accidit, quem παίδων ζωροτάτην μανίην vocat (VII, 30)[3].

Sæpius autem ita rebus adhibet vocabula quæ ad homines tantum apta sunt, videlicet quæ sententias vel animi exprimant affectus, ut res eæ quasi pro personis ducantur; quod apud poetas omnes fieri solet. Namque tubam

Ἐνυαλίοιο καὶ Εἰράνας ὑποφᾶτιν
(VI, 46)

radium ἐργάτιν νήματος vocat (VI, 174); cynici peram σκίπωνι συνέμπορον esse asserit (VII, 413); mare, vel regio, vel urbs quædam alicujus *mater* vel *nutrix* dicitur[4].

Denique fit ut ita nova ratione verba conjungantur, ut hoc uno dignæ sint notatione locutiones. Quæ interdum nimis affectatæ videntur[5]; at sæpe fortius ac vehementius sententiæ

1. Cf. IX, 58 (v. 3 : κάπων αἰώρημα = hortos suspensos); — VI, 223 (v. 6); — VII, 424 (v. 2).

2. Notandæ sunt ejusdem generis locutiones multæ, ut κρωγμὸς ἐν νεφέλαις κιδνάμενος (VII, 713), — Ἀίδαν... ἐνόπλιον (VII, 252), — τὸ... νεότατος... ἄνθος (VII, 413); hoc autem apud Homerum sane exsistit; plane homerica est hujus quoque versus oratio :

Ὄφρα σε καὶ φθίμενον Δηοῦς σταχυηφόρος αὖλαξ
θέλγῃ. (VII, 209).

3. Cf. de Ajace ἄρσην ἀκμή (VII, 146), quem alias τὰν Αἴαντος ναύμαχον βίαν nominat (VII, 2).

4. Μάτηρ : XVI, 178 et 296; — τιθηνήτειρα : XVI, 296. — Cf. VI, 14 (v. 6), 160 (v. 1-2); — VII, 218 (v. 11), etc.

5. Ut in ep. VII, 423, ad exprimendam felicitatem votis allatam :

μύθων αὖθις ὄπαζε χάριν.

Cf. VI, 118, ubi *pretium* rarioribus vocabulis κράτος, ἄκρα, πρῶτα significatur.

sic exprimuntur. Etenim probi philosophi labor hoc versu optime effingitur :

..... θυμῷ
ἄρσενι γυμνήτην ἐξεπόνει βίοτον
(VII, 65);

ingens multitudo his verbis plane demonstratur : λαῶν αἵ ποτε μυριάδες (IX, 151)[1]. Quod multum ad describendum valet : tam altum enim est monumentum, ut nubes assequi videatur conari :

νεφέων ἄχρι θέοντα δόμον
(IX, 58);

ob luctum luna vultum velat et quasi evanescere videtur :

ἀμαυρωθεῖσα Σελάνα
(VII, 241);

vento rugosum mare tamquam exhorrescit :

θάλασσα φρικὶ χαρασσομένη[2]
(X, 2).

Cum in proprietate quadam naturæ alicujus rei vult insistere, fit ut hanc rem haud nominatim, sed hac ipsa proprietate enuntianda significet, ideoque circumlocutionibus multis utatur. Nonnunquam autem pro rei cujusdam nomine reperitur verbum pæne idem significans, ut homo, rarius locus aut animal quoddam, obliqua ratione designetur; ἐπίθετα præsertim nomini primo adjunguntur, deinde succedunt[3]. Quibus pauca orationi adduntur ornamenta, et exacta propriæ nostri elocutionis notio minime præbetur. Cum contra virtutem aut vitium alicujus certa de causa in lucem proferre conatur, sive ad

1. Homerica est hæc dicendi forma; cf. Δ, 76 (λαῶν στρατός); — N, 495 (λαῶν ἔθνος), — etc.

2. His addendæ sunt et verborum redundantiæ, ut νεότητος ἐφάλικος (VII, 427), συρμὸς ἀνέμων (VII, 498), et vocabulorum adversorum conjunctio, ut σόφος κυών (VII, 65) præsertimque hic versus (VI, 219, 22)

κενεὸν δοῦπον ἔδεισε λέων,

ubi parum solita verborum appositio miro cum narrato facto plane congruit.

3. Cf. VI, 159 : Τριτωνίδι κούρᾳ (Minervæ); — VI, 206 : πατρὸς Ἀριστοτέλους συνωνύμος (Aristotelia); — VII, 161 : Διὸς Κρονίδαο διάκτορος (aquila); — VII, 26 : τὸν γενεῇ μερόπων χῶρον ὀφειλόμενον (Inferos); — VI, 160 (v. 8), 206 (v. 10); — VII, 34 (v. 4), etc.

describendum quiddam aut explicandum, sive ad judicandum de aliquo, multum ad orationem valent circumlocutiones. Pauca quidem de Antimacho comperimus, cum ναετὴρ Κολοφῶνος nominatur; at contra Homerus per hoc nomen, Μερόπων Πειθώ, aptissime laudatur. Jam formidinem a leone illatam optime describit, cum ἀρρίγητον ταυροφόνον θῆρα vocando; idem de turba qua navis naufragium faciens completur :

νεὼς ἐπιβήτορα λαόν[1]
(VII, 498).

Attamen eamdem vim circumlocutiones pleræque non habent; nam proprietates quibus insistit parvi sunt momenti vel prope nulla causa esse videtur cur acrius depingantur; scilicet cum non δίκτυα, sed πλεκτὰ λίνα (VI, 118), non κύλικα, sed Βάκχου ἄρμενον (VII, 353) dicit[2]. Tum autem fere inanis verborum copia fit ex hac dicendi ratione, qua amplificatur elocutio, sententiæ vero nihil amplius additur, quod utique de ἐπιθέτοις quibusdam jam antea diximus.

Ad describendum parum pertinent apud Antipatrum circumlocutiones. Ad hoc plurimum valent apud omnes epicos collationes; quæ apud nostrum raræ sunt : scilicet Laïda

Πειρήνης λευκῶν φαιδροτέρην λιβάδων[3],

velum quoddam

ἔργον ἀραχναίοις νήμασιν ἰσόμορον[4]

dicit. At sæpius hoc tantum commodi habent ut oratio per eas quadretur[5].

Multo libentius translationibus Antipater utitur; quæ semper acriorem efficiunt elocutionem et ad depingendum sunt commodissimæ. Ad quod simplicissimum est rem aliquam ita

1. Cf. de Niobes filiis ἄρσην τέκνων ἐσμός (XVI, 133), de muliere vino dedita μέθας σύντροφον (VII, 423), de tauri cornibus ἀμαιμακέτου κρατὸς ἔρεισμα (VI, 115), etc.
2. Cf. imprimis VII, 172, 424, 427; — XVI, 131.
3. VII, 218.
4. VI, 206. Cf. Aristoph., *Ran.*, 1315.
5. Præsertim cum hæc apud epicos frequentissima constructio usurpatur : ὅσσον... τόσσον (VII, 409, v. 6-7; — 413, v. 7-8; — 427, v. 10; — XVI, 305 v. 1-2, etc.).

per alius rei nomen significare, ut inter eas mente comparatio quædam effingatur; quæ constructio tanto plus valet, quanto facilius hæc informatur comparatio, et ejus rei, quam in lucem proferre conamur, imago in animo suscitatur. Ita cum dorso confertur montis fastigium[1], cum luscinia[2] vel cum alcyone[3] canorus radius, cum corona turres urbi circumdatæ[4], cum nube denique ingens avium multitudo[5]. Nonnunquam autem per translationem homo quidam depingitur, præsertim ut nova ratione laudetur. Leo enim fit vir fortis belloque strenuus[6]; scopus Amorum sagittis propositus est tenero corde præditus, cycnus vero fit poeta[7]. Jam tritæ quidem erant hæ locutiones; sed aliæ translationes a nostro primum inventæ videntur, aut saltem satis sunt singulares. Etenim quid miri rarique habeat Homeri gloria, quam immortale sit ejus nomen plane demonstrat, cum eum Ἑλλάνων βιοτᾷ δεύτερον ἀέλιον vocat, vel Μουσέων φέγγος, ἀγήραντον στόμα κόσμου παντός[8]; item Pindari canoros versus studiose elaboratos sic optime laudat :

Πιερικὰν σάλπιγγα, τὸν εὐαγέων βαρὺν ὕμνων
χαλκευτάν..... Πίνδαρον[9].

Verum accidit ut non singulares modo, sed insolitæ vel enormes fiant nonnullæ translationes : nempe puriore magisque Attico ingenio præditus auctor Stesichorum non dixisset ζαπληθὲς ἀμέτρητον στόμα Μούσης[10].

Ad idem pertinent alia ejusdem generis artificia, magis quidem perplexa; fit enim ut multo certius et vividius aliquid describat, cum ad factum quoddam aut habitum significandum verba usurpat, quæ per se aliud factum aut habitum exprimant,

1. Νῶτα θηρονόμου Φολόας (VI, 111); cf. Pind., *O.*, VII, 159; — Eurip., *Hipp.*, v. 127.
2. Ἀηδόνα τὰν ἐν ἐρίθοις (VI, 174).
3. Ἱστῶν Παλλάδος ἀλκυόνα (VI, 160); cf. IX, 151, v. 8.
4. Στεφάναι πύργων (IX, 151).
5. Νέφος πτανῶν (VII, 172).
6. VII, 426.
7. VII, 29.
8. VII, 6.
9. VII, 34.
10. VII, 75.

amboque inter se mente conferuntur; notanda imprimis sententiæ vel animi affectus vel alia sensus effugientia, quæ per corporeas imagines enuntiantur. Pacem enim *fundit* tubæ sonitus[1], vel in Musarum *incude* poeta carmen *fabricatur*[2]; sicut *auriga* habenas tenet bona domina[3]; aptissime augurari est :

ποτὶ σκοπὸν ἰθὺν ἐλάσσειν ἰόν[4].

Interdum in vita humana sumuntur quæ cum inanimis rebus confert; tum autem eæ res quasi natura humana induuntur : scilicet *rident* flores[5], *labra* mare habet[6], *regina* fit urbs quædam[7], lacrimas fundit Ægyptus[8]. At cum non corporea, sed abstracta de re agitur, ita augetur et explicatur ut in ἀλληγορίαν vel μῦθον mutetur translatio : ita mortales infelices morbus rabidus in Inferos trahit, vel a bello devorantur, nigrasque alas nox in eos expandit[9].

Restat ut ultimum translationis genus perpendamus, multo rarius adhibitum, ad apte usurpandum difficillimum quidem, mirandum vero ac singulare; quod in eo constat, ut pro corporea quadam re abstractum quiddam enuntietur. Quas translationes non expedite scriptores effingunt, nam non sponte collatio effici potest. Hoc ipso non facile est ejusmodi creare imaginem, quæ satis exacta sit legentisque mentem vehementer afficiat. Unum apud nostrum exemplum notari potest, novissimum quidem et lepidissimum, cum Smerdin vocat τὸ πόθων ἔαρ[10].

III. *De periodorum conformatione.* — Hoc proprium habent Antipatri sententiæ, quod ita longæ sunt, ut apud eum periodi

1. Γλυκὺν εἰράνας ἐκπροχέουσα νόμον. (VI, 159.)
2. VII, 409.
3. VII, 424.
4. VII, 427, v. 9.
5. X, 2 : λειμώνων ἁβρὰ γελᾷ πέταλα.
6. IX, 407.
7. IX, 790.
8. VII, 241.
9. VII, 711 : ἁρπάξασα δὲ νοῦσος... λάθας ἄγαγεν ἐς πέλαγος. — IX, 151 : πάντα δὲ συμμάρψας ἐξέφαγεν πόλεμος. — VII, 713 : μελαίνης Νυκτὸς ὑπὸ σκιερῇ κωλύεται πτέρυγι. — Cf. VII, 745, v. 10, etc.
10. VII, 29. Cf. A. P., VI, 242 : γενύων ἔαρ; — VII, 12 : ἔαρ ὕμνων, etc.

e sex, octo vel decem versibus compositæ crebro exsistant[1]. Quod inter præcipua κριτήρια numeravimus, cum amborum Antipatrorum utrique sua epigrammata tribuere tentavimus. Fieri autem potest ut magna periodus pluribus ex sententiis constet, alia post aliam apposita, non stricte certaque ratione cohærentibus; ut quasi temere atque ad libidinem eæ conjunctæ videantur; ejusmodi sunt, exempli causa, Pindaricæ periodi. Noster contra oratorum ceterorumque prosæ auctorum disciplinam et exempla ita secutus est ut apud eum ejusdem periodi sententiæ aptissime connexæ sint, seu omnes ex una pendeant, seu unius sint generis ac speciei et συμμετρίᾳ quadam conjunctæ.

Multa enim Antipatri epigrammata pluribus ex sententiis composita sunt, pari ratione constructis, quibus idem est verbum, semel tantum expressum, in ceteris vero subauditum[2], vel per συνώνυμα repetitum[3]; quæ nonnunquam strictius etiam coagmentantur, cum vocabulum unde fit exordium iteratur[4] vel cum subjecta nomina, per contrarias voces enuntiata, inter se opponuntur[5].

Simpliciores etiam sunt aliæ periodi, quæ unam tantum sententiam continent, cum « complementa » quæ dicuntur verbo adhibentur plura[6], vel cum per apposita nominativus augetur[7], vel cum hic e participio constat quod multa sequuntur complementa; qua constructione turgescit oratio, et epicus color epigrammati additur :

Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ ψῆρα καὶ ἁρπάκτειραν ἐρύκων
σπέρματος, ὑψιπετῆ Βιστονίαν γέρανον,
ῥινοῦ χερμαστῆρος εὔστροφα κῶλα τιταίνων,
Ἀλκιμένης, πτανῶν εἶργον ἄπωθε νέφος.
(VII, 172, v. 1-4.)

Cujus simplicissimæ constructionis optimum exemplum

1. VI, 109, 160, 206, 223; — VII, 26, 27, etc.
2. Cf. VI, 174; — VII, 81; — IX, 603.
3. XVI, 296 : ἐνέπουσι, ...ἔδδασαν, ...ἀνίαχον.
4. IX, 151, ubi septem sententiæ per adverbium ποῦ incipiuntur.
5. XVI, 296 : οἱ μέν, ...οἱ δέ (quinquies iteratum)..., ἄλλοι.
6. IX, 58, v. 1-5.
7. VI, 219, v. 1-6.

epigrammate VI, 159 præbetur, quod constat e nominativo, verbo, prædicato.

Verum sæpius nostrum juvat perplexa sententiarum compositio, qua omnes periodi partes uno cum proposito vel vocabulo conjunguntur, ut inter se aptissime cohæreant. Uni autem imprimis periodi formæ indulsit, qua in lucem ita profertur et quasi cardo fit accusativus; qui plerumque appositis, participiis, relativis — ut dicunt — propositis augetur; postea collocantur, clausulæ loco, nominativus verbumque, fere brevissima simplicissimaque et velut in umbra relicta. Ita magnifica grandisque fit oratio, quia non modo unum eminet vocabulum, sed mens quasi suspensa tenetur, cum ad plane intelligendum usque ad periodi exitum exspectandum sit :

Τὰν πρὶν Ἐνυαλίοιο καὶ Εἰράνας ὑποφᾶτιν,
μέλπουσαν κλαγγὰν βάρβαρον ἐκ στομάτων,
χαλκοπαγῆ σάλπιγγα, γέρας Φερένικος Ἀθάνᾳ,
λήξας καὶ πολέμου καὶ θυμέλας, ἔθετο.
(VI, 46.)

Quæ paulo gravior periodi conformatio cum turgida elocutione — præsertim in prioribus relatis versibus — plane congruit. Notandum autem plerumque in eisdem locis hanc constructionem reperiri atque splendidissimos tropos dicendique figuras, quas jam rettulimus, præsertim in eis quæ accusativo adduntur :

Κερκίδα τὰν ὀρθρινὰ χελιδονίδων ἅμα φωνᾷ
μελπομέναν, ἱστῶν Παλλάδος ἀλκυόνα,
τόν τε καρηβαρέοντα πολυρροίβδητον ἄτρακτον,
κλωστῆρα στρεπτᾶς εὔδρομον ἀρπεδόνας,
. . . .
παῖς ἀγαθοῦ Τελέσιλλα Διοκλέος ἁ φιλοεργὸς
εἰροκόμων Κούρᾳ θήκατο δεσπότιδι[1].
(VI, 160.)

Cum autem apte connexæ sint omnes periodi partes, simplex et unum per ipsam compositionem fit epigramma. Non tamen

1. Cf. imprimis de Homero epigrammata VII, 2 : Τὰν μερόπων Πειθώ, τὸ μέγα στόμα κτλ., et VII, 6 : Ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς κτλ. — Cf. quoque, eadem de constructione, VI, 109, 111, 115, 206, 223 (emendato v. 5); — VII, 34, 75, 210, 218, 303, 409, 423, 424 (sub fine), 464; — IX, 722 ; — XVI, 178.

vitari potest ne oratio hoc ipso tardetur et, ut solidius, ita lentius carmen fiat. Ceterum, manifestum est Antipatrum minime tentavisse ut gravitatem eam minueret; ei contra indulget ultroque eam augere solet. Aliis quidem in scribendi generibus, ut in amatoria poesi satiraque et simplici diverbio, molestius hoc foret; ad explicanda vero argumenta quæ nostrum juvant, haud necessaria est maxima orationis levitas; quin etiam fere negligendum vitium hoc videtur, cum contra sit commodissimum descriptionem vel narrationem plane unam fieri. Sicut igitur ædes constructa sunt Antipatri epigrammata, quarum paulo crassior figura gracilitate ac subtilitate careat, sed certe descripta definitaque structura sit[1].

Constat autem poetam omnibus modis quærere ut claram ac perspicuam sententiarum conformationem efficiat. Ideoque imprimis vocabulum aliquod iterare solet, ut legentis animus in id convertatur. Quæ interdum — non sæpe quidem — mera est redintegratio ac ταυτολογία, sive quo vehementior precatio fiat :

Σπεῖσον ἐμῇ σποδιῇ, σπεῖσον γάνος
(VII, 26).

sive qualibet in re commorari vult mentemque retinere :

Μυρία τοι, Πτολεμαῖε, πατὴρ ἔπι, μυρία μάτηρ
τειρομένα θαλεροὺς ᾐκίσατο πλοκάμους...
(VII, 241).

Ἁ δὲ τόσας ἀγέλας μάτηρ πάρος, ἁ πάρος εὔπαις[2]
(XVI, 131).

Sæpius autem iteratur vocabulum duabus cum constructionibus vel significationibus, ut inter se opposita verba legentem validius impellant. Modo nonnullis locutionibus

1. Cum autem argumentum acriore modo tractandum est, fervidam et rapidam orationem scit efficere, ut in ep. VII, 164, quod diverbium est simplicissimum, et VII, 427, ubi poeta, ænigma solvere conatus, secum abrupto præcisoque sermone loquitur.
2. Cf. IX, 151 : οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἴχνος, etc. — Interdum fit ut per συνώνυμον vocabulum quoddam repetatur : τὰν ἀεὶ πολύμυθον, ἀεὶ λάλον (VII, 423), etc. (cf. VII, 424, 713, etc.); ita verbum ἐνέπουσι jam vidimus per verba ἐβόασαν et ἀνίαχον repetitum, *dicere* tantum significantia (XVI, 296). Ut enim verbum iterat, ita elocutionem tamen variare scriptor conatur; sic accidit ut nimis singularia vocabula quædam adhibeantur, cum minus in promptu συνώνυμα sunt.

Homerum sequitur, scilicet : κόσμον ἄκοσμον (IX, 323), etc.; modo certis in versuum locis verbum verbo respondet :

δαίμοσιν εἰναλίοις δοὺς τέρας εἰνάλιον.
(VI, 223.)

Merus nonnunquam jocus hic fit[1]; at aliæ sunt iterationes quæ plus ad orationem valent, cum non verba solum, sed sententiæ inter se opponantur :

Σαπφώ,... τὰν μετὰ Μούσαις
ἀθανάταις θνατὰν Μοῦσαν ἀειδομέναν.
(VII, 14.)

Δειλαί τοι δειλοῖσιν ἐφεδρήσσουσι πέλειαι[2].
(VII, 161.)

Nonnunquam in duobus propositis ita pariter constructa sunt opposita verba, ut hac oppositione apte quadretur oratio. Etenim quid mirandi sit in Niobes sorte, quam permutatæ sint condiciones, sic vehementer demonstrat :

Μάτηρ οὐχ ὑπὸ παισὶν, ὅπερ θέμις, ἀλλ' ὑπὸ ματρὸς
παῖδες ἐς ἀλγεινοὺς πάντες ἄγοντο τάφους[3].

Ad quod efficiendum non solum vocabulum, sed constructionem aliquam iterare solet, ut inter duas sententias, quæ sensu inter se componuntur vel opponuntur, συμμετρία quædam fiat. Modo verbum unum plurium sententiarum initio redintegrat, ut legentis animo inculcetur imago mortis, qua funditus omnia restinguantur :

Εὕδεις ἐν φθιμένοισιν, Ἀνάκρεον...
εὕδει δ' ἡ γλυκερὴ... κιθάρη,
εὕδει καὶ Σμέρδις...[4].

Modo pronomine vel particula repetita idem assequitur[5].

1. Ἀρετὰν ἀντ'ἀρετᾶς ἔλαχον.
(VII, 252.)
Βάκχου ἄρμενον οὐ Βάκχου πλῆρες.
(VII, 353.)
Γλαὺξ ἅδε γλαυκᾶς Παλλάδος ἀμφίπολον.
(VII, 425.)
2. Cf. imprimis VII, 14 (v. 7-8), 241 (v. 11), 425 (v. 8), 493 (v. 7-8), etc.
3. XVI, 131 ; cf. ejusdem carminis v. 3, 4, 5 et 10.
4. VII, 29; cf. VII, 467, supra relatum.
5. Ποῦ (IX, 151, sexies repetitum), τίς (IX, 323), εἰ, οὐ, ὅς, etc.

Quæ verborum oppositiones ac συμμετρίαι[1] nimio labore exquisitæ cum firmiorem tum graviorem elocutionem efficere jam vidimus. At alia quoque demonstrant nostrum hoc vitium vitare minime conatum esse; quippe qui sæpissime nomini eidem duo ἐπίθετα apposuerit, nulla particula inter se conjuncta :

Ῥομβητοὺς δονέων λυσσομανεῖς πλοκάμους...
...κοιλῶπιν ὀρειάδα δύσατο πέτραν...
Τὸν δὲ μέτ' ἀρρίγητος ἐπείσθορε ταυροφόνος θὴρ...
...ἄχει δ' ὑλάεις ἀγχινεφὴς σκόπελος[2].
(VI, 219.)

Qua re locutionis amplitudo in lucem profertur, et augetur ἐπιθέτων vis, ut diximus, metrica, epicus præterea color epigrammati additur.

Etenim eo spectant quæcumque de Antipatri oratione, præsertim de periodorum conformatione, animadvertimus; ut multæ crebræque referri possint aliæ constructiones, quæ ad eadem pertineant[3]. Hoc vero est in eo incommodi, quod rhetoris artificia nimis manifesto apparent, atque eædem verborum structuræ, sæpius repetitæ, fastidiosæ denique fiunt. Quod vitium poeta minuere minime tentat; hoc contra gravare cum juvat, eisdem sententiarum formis versuumque numeris iteratis, dum verba sæpe pari sunt longitudine atque interdum

1. Animadvertendum ea magis ad verba pertinere quam ad sensum, et rarissima esse vera ἀντίθετα, scilicet : εἰ δ' ολίγα κρύπτω τὸν ταλίκον (VII, 2); — τὰ κατ' αἰθέρα λεύσσων τοὐμ ποσὶν οὐκ ἐδάην (VII, 172); — cf. VI, 287 (v. 2); — VII, 498 (v. 7-8), etc.
2. Cf. VI, 160 (v. 3); — VII, 2 (v. 7), 23 (v. 4), 29 (v. 2), 75 (v. 1), 172 (v. 2 et 5), 218 (v. 13), 303 (v. 3), 423 (v. 6), 745 (v. 2), 748; — IX, 58 (v. 1), 603 (v. 4); — X, 2 (v. 3), etc.
3. Inter quas duæ notandæ :
1° Verbum prima persona subjecto cum nomine adhibitum; exempli causa VI, 159 :

Ἁ πάρος αἱματόεν πολέμου μέλος ἐν δαῒ σάλπιγξ...
...ἄγκειμαι, κτλ.

Cf. VII, 2, 26, 146, 246, 413, 713, 743; — X, 2.
2° Compellationes et interrogationes, quas jam p. 34 perpendimus, scilicet VII, 745 (v. 7-8), 748 (v. 1-6); — IX, 151, 323, 790; — XVI, 75, 133, 296, etc. In ep. VI, 10, plane homerici sunt continui vocativi :

Τριτογενὲς, Σώτειρα, Διὸς φυγοδέμνιε κούρα,
Παλλάς, κτλ.

consonant. Plerasque igitur periodos in eamdem copulam conjicere videtur :

Ἁ δάμαλις, δοκέω, μυκήσεται· ἦ ῥ' ὁ Προμηθεὺς
οὐχὶ μόνος, πλάττεις ἔμπνοα || καὶ σύ, Μύρων.
(IX, 724.)

Ἁ δάμαλις, δοκέω, μυκήσεται· ἢν δὲ βραδύνῃ
χαλκὸς ὁ μὴ νοέων αἴτιος, || οὐχὶ Μύρων.
(IX, 728.)

Εὕδει δ' ἡ γλυκερὴ νυκτιλάλος κιθάρη.
(VII, 29.)

Εὕδει χἡ παίδων ζωροτάτη μανίη[1].
(VII, 30.)

Nonnunquam autem a prioribus, imprimis a Leonida Tarentino, exempla mutuatur[2]. Neque id mirum videbitur reputantibus nostrum versus extemporales effundere solitum; itaque, ut epigramma subito efficeret, cujus argumentum ab audientibus præberetur, necessarium fuit eum permultas dicendi formas in promptu habere, seu ἐπίθετα parum certa significatione, quæ fere cuilibet nomini adhiberi possent, seu præparatam verborum compositionem, seu periodorum aut versuum quasi exemplaria, quibus sententias suas accommodaret. Quamobrem locutionibus magnificis, potius quam exactis, nimiæ et pæne inani verborum copiæ, eisdem sententiarum formis sæpius repetitis maxime indulsit.

Quodsi epigrammata non jam quasi rescindimus ut singulas partes elementaque dispiciamus, sed tota intuemur ac perpendimus, gravia hæc in summa esse videntur, paulo lentiora etiam ac frigidiora, licet cum argumentis, ut vidimus, ea oratio plane congruat. Sæpius enim leviores descriptiones aut narrationes gratamque Antipatri Thessalonicensis futilitatem desideramus; non quod Sidonii nunquam pectus flectatur, aut ejus versuum lenitate moveri legentes minime possint; ut contra, præsertim in sepulcralibus epigrammatis, plurimi versus dulcissimi reperiantur. Namque et acriter et ingenue

1. Cf. VII, 65, et D. L.; — VII, 27 (v. 1) et 29 (v. 1), etc.
2. Cf. XVI, 178, cum XVI, 182 (v. 1), etc.

orbæ matris dolorem expressit[1]. Aliis autem in locis valdius etiam sentimus quantum orationis modulatio per se valere possit, cum ipsa verborum amplitudo eaque gravitas, quam periodis objecimus, querulam elocutionem efficiant; ita unam per orationem mortis mæstitiam sentimus eaque vehementer movemur. Quod imprimis in eis carminibus accidit, ubi de magnis auctoribus mortuis queritur[2]. Ejusmodi sunt et naufragorum epitaphia, in quibus tardus lentusque numerus fluctuum murmur evocat, quod æternam eorum quietem mulcet[3].

Gravius autem vitium est quod nimis turgida et putida est oratio; quod assidue jam notavimus : per nimiam verborum copiam res explicantur, quibus perpauca sententiæ adduntur; redundat noster diffunditurque, ac moderatione caret. Quod tunc maxime apparet, cum loca quædam Antipatri cum Leonidæ exemplis conferimus, ut de Bacchylide, nimis vino dedita[4].

Ut ejus immodicæ intemperantiæ ratio reddi possit, a qua maxime abhorruerunt non solum ætatis optimæ auctores, sed fere omnes scriptores Græci, non omittendum est Antipatrum ex Oriente et Meridie fuisse oriundum. Quamobrem intelligimus eum fervido ingenio fuisse præditum, subtilitate vero caruisse, maxima floruisse verborum orationisque copia et ubertate, splendidisque tropis enituisse, sed nimis redundare,

1. VII, 467, v. 1-4, jam relatos, p. 34.
2. Exempli causa VII, 27 :

Εἴης ἐν μακάρεσσιν, Ἀνάκρεον, εὖχος Ἰώνων, κτλ.

Cf. imprimis VII, 8, v. 1-2, jam relatos.
3. VII, 498 (v. 5-7), etc.
4. Sic noster (VII, 353) :

Ἡ δὲ φιλάκρητος καὶ ἀεὶ λάλος οὐκ ἐπὶ τέκνοις
μύρεται, οὐ τεκέων ἀκτεάνῳ πατέρι·
ἓν δὲ τόδ' αἰάζει καὶ ὑπ' ἠρίον, ὅττι τὸ Βάκχου
ἄρμενον οὐ Βάκχου πλῆρες ἔπεστι τάφῳ.

Ille autem (VII, 455) :

Στένει δὲ καὶ γᾶς νέρθεν, οὐχ ὑπὲρ τέκνων,
οὐδ' ἀνδρὸς, οὓς λέλοιπεν ἐνδεεῖς βίου·
ἓν δ' ἀντὶ πάντων, οὕνεχ' ἡ κύλιξ κενή.

Quam mulierem Thessalonicensis simpliciter nominat Βάκχου κυλίκων σποδός (VI, 291).

et nimis singulares effinxisse translationes, quoties vis illa novas figuras informandi mente ac ratione non corrigebatur. Itaque peregrinæ vel, ut dicunt, ἐξωτικῆς orationis exemplum præbuit. Non quod unus sit Anthologiæ peregrinus; nempe apud Meleagrum et — in Philippi Corona — Philodemum, propria hominum ab Oriente natorum indoles ac natura facile deprehenditur; at e fervidis animi affectibus nimiaque et quasi muliebri nervorum concitatione apparet, neque, ut apud nostrum, ex elocutionis vitiis et virtutibus; quare Antipater in Anthologia locum plane peculiarem et singularem obtinet.

CAPUT V

De dialecto.

Constat dialectos, quibus a principio gentes vel nationes singulæ usæ sunt, brevi non jam hominum sed litterarum generi cuidam peculiares esse factas. Namque propterea quod Homerus, heroïci carminis auctor, ionica quadam dialecto usus est, hexametrorum scriptores, ad illius exemplum, ionice scripserunt; quod de nonnullis maxime mirum est, ut de Hesiodo, qui, æolica origine natus, æolicam coluit regionem; neque ratio ejus rei ulla reddi posset, nisi tam multum apud eum valuisset auctoris imitatio. Item iambis, elegiis, tenui Anacreontis Musæ aliisque generis ejusdem carminibus propriæ fuerunt ionica dialectus vel epica; dum contra dorica dialectus a chororum lyricorum scriptoribus, quacumque ex regione natis, usurpata est.

At notandum est etiam principio minime puram fuisse cujusque litterarum generis dialectum : Homerus enim et præsertim Hesiodus, quamquam ionicus in summa est eorum sermoni color, æolicis dictionibus ita indulserunt, ut nonnulli contendere non dubitaverint, eorum carmina æolice primo fuisse scripta, et posterius in ionicum translata[1]. Jam recentiores poetæ diversissimis a fontibus locutiones ac vocabula sumpserunt, quibus figuram, quacumque dialecto scriptum erat exemplum, minime immutaverunt : ita Pindarus, modo

1. Fickii imprimis hæc est opinio; præter Homeri et Hesiodi carmina ab illo edita (Göttingen, 1883, 1886, 1889), confer Hinrichs, *De Homericæ elocutionis vestigiis æolicis* (Iena, 1875), et Rzach, *Der Dialekt des Hesiodos* (Leipzig, 1876), *Schlussbemerkung*.

epicos modo lyricos scriptores secutus, homericas dictiones cum doricis æolicisque perpetuo miscuit.

Denique, tempore procedente, veteres dialecti extra sermonis usum venerunt, quarum in locum lingua κοινή dicta cunctis in civitatibus paulatim successit. Quæ nunquam carminibus usurpata est; ut dissensio inter poeseos et prosæ orationis linguam, cum semper exstitisset, tum in dies augeretur; etenim non solum minime simplex ac sincera est dialectus Alexandrinorum, verum artificiose ficta, — quod apud omnes Græcos poetas accidit; sed cum ceteras jam κοινή superaret, dictiones etiam singulas, in vulgari sermone minus atque minus usurpatas, per artificium vel quasi per philologi ludum pristinis e dialectis mutuati sunt et revocaverunt. Quas Antipater quolibet e superiore poeta sumpsit, neque conatus est ut una esset cohærensque dialectus, sed maxime variis elementis eam composuit; ut de verborum figura idem animadvertere possimus, ac de vocabulorum delectu. Quæ nobis plane manifesta videbuntur explorantibus et qualibus dictionibus usus sit, et qua ratione diversis in epigrammatis hæ distributæ sint.

I. De declinatione.

1° De articulis. — Ut epici vulgarisque sermonis communes dictiones [1], ita doricæ quoque sæpissime reperiuntur, scilicet ἁ [2] et ἅδε [3], τάν et τάνδε [4]. Ter tantum exsistit genitivus τᾶς [5], nunquam dativus τᾷ [6], semel autem pluralis nominativus ταί (VI, 174), qui et ad epicam et ad doricam dialectum pertinet.

2° De pronominibus. — A. *De relativis.* — Rariores sunt doricæ dictiones : ἆν (VII, 14), ἇς (ibidem), ᾇ (VI, 174, et XVI, 133), frequentissimæ autem communes.

1. Ἡ (VII, 29, 353, etc.), τήν (VII, 218, etc.), τῇ (VI, 276), etc.
2. VI, 118, 159, 160, 206; — VII, 2, 75, 81, 241, 413, 425, 427, 467, 493, 745; — IX, 76, 603, 721, 723, 724, 728; — XVI, 131 et 133.
3. VII, 2, 34, 423; — XVI, 131.
4. VI, 14, 46, 109, 111, 118, 160, 174, 287; — VII, 2, 14, 210, 409, 423, 424, 425; — IX, 722, 790; — XVI, 133, 176, 178; — D. L.
5. VII, 426, 427; — IX, 66.
6. Cf. τᾷδε (IX, 720).

B. *De « correlativis » dictis.* — Prosæ dictiones ὅσον (VII, 413), ὁπόσον (XVI, 305), τόσας (XVI, 131), poeticis dictionibus variantur, quibus cunctis in dialectis littera σ duplicata est, scilicet τόσσον (VII, 15, 161, 413; — XVI, 305) et ὅσσον (VII, 15, 161, 426).

C. *De articularibus.* — Duæ tantum voces a vulgari sermone discordant, quarum una epica, altera dorica est [1].

D. *De personalibus.* — Difficilius est ea inter diversas dialectos dispertire, quia sæpe fit ut pluribus dialectis eadem dictio sit usurpata; itaque personarum casuumque ordine ea disponemus, omissis communibus nonnullis vocibus, quæ frequentissime apud nostrum exsistunt.

De prima persona :

Sing. : Gen. : μεῦ (VII, 15), ionicum idem ac doricum.
Plur. : Nom. : ἄμμες (VII, 146), æolicum.
Dat. : ἄμμι (VII, 413, 467), æolicum,
ἇμιν (VII, 493), doricum (ἄμμιν alii legere malunt).

De secunda persona :

Sing. : Communes tantum dictiones nominativo et accusativo : σύ (IX, 724, 790, etc.), σέ (XVI, 131, etc.).
Gen. : Dictiones communes : σοῦ, frequentissimum;
epicæ : σέο (IX, 151; — XVI, 131, 305),
σεῖο (VII, 467, 745; — IX, 151; — XVI, 305),
σέθεν (VII, 467);
epicæ simul ac doricæ :
σεῦ (VII, 424; — IX, 723; — XVI, 296);
doricæ : τεῦ (VII, 161),
τέο (VII, 464).
Dat. : Tam libenter σοί quam τοί [2] scripsit Antipater; sæpius etiam una dictio juxta alteram appo-

1. Κεῖνο (VII, 464; — cf. κεῖνα, IX, 58) atque τῆνος (D. L.). Quod ad vocabula ταύταν, ταύτας, etc., pertinet, cf. infra nominum declinationem.
2. Σοί : VII, 14; — XVI, 75, 131, 133, 178, etc.; — τοί : VI, 10; — VII, 23, 26, 241; — XVI, 75.

nitur; interdum autem fieri potest ut inter se pronomina hæc a scriba permutata sint, quod a legentibus discerni non possit.

Plur. : Notandus tantum dativus ὔμμιν (X, 2), æolicus simul atque epicus.

De tertia persona :

Sing. : Vocabulum οἱ sæpissime dativo usurpat[1], omnibus dialectis commune.

E. *De possessivis adjectivis.* — Prima persona, communibus formis usus est, nonnullisque dorice desinentibus : ἐμάν (VII, 743), ἐμᾶς (VII, 467), ἐμᾷ (VII, 425), atque ἁμετέρας (VII, 164).

Secunda persona, modo communes voces : σῇ (VI, 276), σόν (VII, 467), σῶν (IX, 151), vel dorice desinentem σᾶς (VI, 115, et VII, 426), — modo epicas easdem ac doricas usurpavit : τεός (VII, 27), τεόν (VI, 159), τεῷ (VII, 467).

Tertia persona tantum exsistit epica doricaque dictio ἑόν (VI, 219), feminine ἑάν (VII, 241).

3° De nominibus et adjectivis. — Prima de declinatione, præsertim notanda sunt vocabula seu quibus litteræ η communi atticaque dialectis usitatæ littera α dorice substituitur, seu quibus pro vocali α eisdem dialectis usitata homerice supponitur vocalis η. Quorum magnus est numerus; utriusque igitur rei satis erit exempla nonnulla referre :

	DORICÆ DICTIONES	EPICÆ DICTIONES
Nom. :	ἀρνυμένα (VI, 174), σμηχομένα (VI, 276), μεγάλα (VII, 241), τέχνα (IX, 721), Μαιονίδας (VII, 15), etc.	σποδιή (VII, 23 et 26), μανίη (VII, 30), εὐκταίη (XVI, 75), Ἥρη (XVI, 178), Βορέης (VII, 303), etc.
Acc. :	κλαγγάν (VI, 46), ἐρημωτάν (VI, 115), προφήταν (VII, 6), Μναμοσύναν (IX, 66), ἀναδυομέναν (XVI, 178), etc.	γενεήν (VII, 164), φαιδροτέρην (VII, 218), ἐρημαίην (VII, 745), Θεσσαλίην (XVI, 296).

1. VI, 115, 219, 276; — VII, 30, etc.

	DORICÆ DICTIONES	EPICÆ DICTIONES
Gen. :	τέχνας (VI, 14), ἀρετᾶς (VII, 6), ἀλκᾶς (VII, 426), δερκιοπέδας (IX, 76), etc.	Παρθενίης (VI, 10), πολιῆς (VI, 206), σκολοπένδρης (VI, 223), λύρης (VII, 27), μιῆς (VII, 743), etc.
Dat. :	φωνᾷ (VI, 160), ἄλλᾳ (VII, 2), ἥβᾳ (VII, 427), Ἀΐδᾳ (VII, 464), etc.	Οὐρανίῃ (VI, 206), θαλασσαίῃ (VI, 223), θερμοτέρῃ (VII, 30), σκιερῇ (VII, 713), μιῇ (XVI, 131), etc.

Præterea, singulari masculinorum genitivo, voces æolicas perinde ac doricas[1] homericis variat[2] vel ionicis[3]. Plurali autem genitivo duæ exsistunt atticæ voces[4], nonnullæ æolicæ ac doricæ[5], item ionicæ[6], nulla vero in litteras -άων desinens. Dativo denique vulgo reperiuntur dictiones in litteras -αις desinentes[7], rarius autem in -ησι[8], vel illæ, æolico doricoque sermoni atticisque carminibus communes, in -αισιν exeuntes[9].

In secunda declinatione, communes dictiones fere Antipater usurpavit, nunquam doricas. Singulari autem genitivo, præter vulgarem formam in -ου desinentem[10], homerica forma et antiquissima, in -οιο desinens, cum juvit : scilicet βέλοιο (VI, 109), Ὀβρήλοιο (VI, 115), φιλοπλέκτοιο (VI, 206), φρικτοῖο (VI, 219), etc.[11]. Plurali autem dativo, non solum communes in -οις[12], sed etiam eæ in -οισι vel -οισιν exeuntes voces plurimæ, quæ ad epicam, ionicam, æolicamque et doricam dialectum pertinent[13].

Vocalium autem coitum ut omnes poetæ frequentissime noster omittit[14]. Attamen, juxta verbum ἄπνοος, attice λιπόπνους

1. Νεολάδα (VI, 109).
2. Κρονίδαο (VII, 2).
3. Ἀίδεω (VI, 219, et VII, 711), Θεαρίδεω (VI, 111), Μαιονίδεω (VII, 2), Σμερδίεω (VII, 27), Πυθαγόρεω (VII, 75), Μελικέρτεω (VII, 303), Σαώτεω (IX, 603).
4. Αὐλῶν (XVI, 305), Περσῶν (VII, 246).
5. Θηλειᾶν (VII, 15), αἰπεινᾶν (IX, 58), δισσᾶν (IX, 76).
6. Μουσέων (VII, 6), ληϊστέων (VII, 745), Μοιρέων (XVI, 75), Λαπιθέων (XVI, 296).
7. VII, 14, etc.
8. Προμολῆσιν (VII, 246).
9. Μούσαισι (VII, 27), ὑπωροφίαισι (VII, 424).
10. Πολέμου (VI, 46), ἀγαθοῦ (VI, 160), φιλακρήτου (VII, 26), ταυρείου (VI, 219), etc.
11. Cf. VII, 210, 218, 246, 409, 426, 464, 748; — IX, 58, 151, 603, 790.
12. Λίνοις (VI, 14), ἀραχναίοις (VI, 206), etc.
13. Βριαροῖσιν (VI, 219), δερκομένοισι (VII, 27), φθιμένοισι (ibid.), etc.; cf. VII, 161, 164, 423, 425, 427, 743.
14. Ὀστέα (VII, 2), πορφυρέων (VII, 23), χρυσέων (VII, 711), νόον (VII, 424), διπλόον (VII, 464), ἄπνοος (XVI, 133).

scripsit; ὀστέον quoque in ὀστεῦν contraxit (VII, 218), quæ dictio in epigrammatis quibusdam epice scriptis occurrit[1].

In nominis υἱός declinatione tres notandæ dictiones : υἷες (VII, 748), υἱάσι (VII, 8), υἱῆας (VII, 743); quarum duæ priores apud Homerum, at præsertim apud recentiores epici carminis auctores reperiuntur, quibus omnino peculiaris proxima est[2].

In tertia declinatione plurima sunt perpendenda :

a) *De verborum exitu.* — Plurali dativo, frequens est homerica in -εσσι terminatio : μακάρεσσι (VII, 27), μερόπεσσι (VII, 161), λαγόνεσσι (IX, 721), δυσμενέεσσι (VII, 426)[3].

b) *De nominibus e litteris -ηρ terminatis.* — Nulla in eorum declinatione ratio certa; singulari enim genitivo dativoque litteram ε modo, sicut poetæ solent, retinuit[4], modo suppressit[5]; notanda rarior dictio θύγατρες (VII, 8)[6].

c) *De vocalium coitu.* — Arbitrium libidinemque tantum secutus est Antipater; ut inter atticas συζυγίας atque διαιρέσεις, quas omnes poetæ Homeri exemplo dilexerunt, neutras præposuisse videatur. Etenim litteras -εα in -η, sicut Attici Pindarusque soliti sunt, libenter contraxit : χαλκοπαγῆ (VI, 46), εὐσπειρῆ (VI, 206), etc.[7]; sæpius tamen contractionem omisit : φιλοκερδέα (VII, 745), τεύχεα (VII, 146)[8]. Litteras -εος bis attice in -ους[9], ter ionice doriceque in -ευς contraxit[10]; sæpius autem διαιρέσει usus est[11]. Dativo semel vocales contraxit, bis contractionem omisit[12].

Plurali autem rariores exsistunt nominativo atticæ dictiones[13];

1. VII, 31 et 480; dorica quoque dialecto vocales εο in ευ contrahi solent.
2. Cf. Apoll. Rh., II, 1094, 1119, etc.
3. Manifestum est has dictiones per nominum in -ης desinentium analogiam esse creatas (τριήρεσ -σι); ut plane enormes sint voces huic postremo relatæ similes.
4. Ματέρος (XVI, 178), μητέρος (XVI, 75), πατέρι (VII, 353), ἀνέρος (VII, 426).
5. Ματρός (XVI, 131, 133, 296), γαστρί (XVI, 131).
6. Cf. Hom., I, 144, etc.
7. Cf. VI, 276; — VII, 27, 164, 172, 711.
8. Cf. VI, 219; — X, 2; — XVI, 133.
9. Αὐτάρκους (VII, 65), Ἀριστομένους (VII, 161).
10. Διογένευς (VII, 65), Ἱπποκράτευς (IX, 407), πελάγευς (VI, 223).
11. Ἀλιπλανέος (VI, 223), κέρδεος (VII, 218), etc.; — cf. VI, 118, 160, 174, 287; — VII, 146, 413.
12. Γυιοπαγεΐ (VI, 219), — κάδεϊ (XVI, 133), Ἄρεϊ (XVI, 75); verum ut Homerus Ἄρηϊ quoque scripsit (IX, 323); cf. Ἡρακλῆος (D. L.). — Intelligi necesse est nostrum, sicut omnes Græcæ linguæ scriptores, in verbis qualia Λατοῦς (XVI, 133) vel φειδώ (VII, 493) vocales semper contraxisse.
13. Νευροτενεῖς (VI, 109), ὀξυπαγεῖς (ibid.), συνομήθεις (VI, 206), λυσσομανεῖς (VI, 219).

quas accusativo nunquam reperimus; raræ etiam poeticæ voces in -εες et -εας exeuntes[1]. Genitivo litteras -εων nunquam in -ων contraxit[2].

d) *De ἀνωμάλοις nominibus.* — Homerum ferme sequitur : οὖας (VII, 409), κρατός (XVI, 133 et 176), χερί (XVI, 178), κέρᾱ (VI, 115). Nonnullorum vero in declinatione magna varietas : Atticum est ac Pindaricum δορί (IX, 790), homerica δούρατος (VI, 111) et δούρατι (VII, 493); Attica sunt ναύς et νεώς (VII, 498), homerica νηός (VII, 303) et νηΐ (X, 2); præter communes voces Ζεύς (XVI, 175), Διός (VI, 10, etc.), homericus dativus Ζηνί (XVI, 75) atque doricæ dictiones Ζανός (VI, 219) et Ζᾶνα (IX, 58).

II. De verborum conjugatione.

1° De vocabulorum exitu. — Doricæ nonnullæ terminationes : -μαν prima singularis persona frequentissimum[3]; tertia pluralis terminatio -ντι semel reperitur[4]. Quibus adjungendæ sunt tres aliæ dictiones, scilicet φατί (VII, 81), ἧς (VII, 427 et 493), ἔρης (VII, 353). Quod ad hanc pertinet, ὁρῇς in codicibus scripta est; quam emendans Jacobsius ὁρᾷς legit. Equidem eam a scriba dialectorum ignaro corruptam esse putare malo; quam ex æolico verbo ὄρημι deduco[5]. Notanda autem alia ejusdem generis dictio, æolica quoque : νίκημι (VII, 743), qua Theocritus libenter usus est.

2° De vocalium coitu. — Fere semper fit διαίρεσις; vix nonnullæ reperiuntur poeticæ voces, ubi litteræ -εο vel -εου (quod rarius est) in -ευ contractæ sunt : παταγεῦσαν (VII, 8), στοναχεῦμεν (VII, 8), δινεῦσαι (VII, 14), ἔθευ (IX, 790); adde doricam dictionem ζαλοῖς (VII, 409). Cunctis vero reliquis in locis, homericas dictiones usurpat desinentes in -εω (comm. ling. ω)[6], -εο

1. Nominativo VI, 115, et IX, 603; accusativo VI, 287; — VII, 743; — IX, 323.
2. Cf. VII, 23, 34, 353, 493; — IX, 58, 151; — XVI, 176.
3. Γενόμαν, ἐλόμαν, etc. Cf. permultas alias dictiones ubi -α pro -η dorice exsistit : ἕστας (VII, 161), ἕστα (VI, 219), ἕστακα, ἀφάσει, αὐδάσει, ἆψε, ἄγαγεν, etc.
4. Ἀγγέλλοντι (VII, 427).
5. A Sappho, Aristophane et aliis quibusdam usitatum.
6. Δοκέω (VII, 427), δονέων (VI, 219); — cf. VII. 498; — IX, 724 et 728.

(= ου)[1], -εαι (= η, excepto ἔσῃ, XVI, 133)[2], -εου (= ου)[3], -αο (= ω)[4].

In prima verborum positione nonnullas vocales, Homerum secutus, immutat, scilicet λιπόων (VII, 353), γοόωσα (VII, 467), ἐπιδωσάμενον (VII, 745); enorme est φιλαμένα (IX, 790)[5].

3° De incremento et geminatione. — Semel ut Homerus primam in tempore præsenti syllabam geminavit : μίμνομεν (IX, 151). — Sæpissime ut omnes poetæ incrementum omisit, præsertim in verbo τιθέναι, scilicet : θέσαν (VI, 14 et 174), θέτο (VI, 109; — VII, 218; — IX, 323; — sed ἔθετο, VI, 46), θῆκε (VI, 111 et 115), θήκατο (VI, 160)[6].

4° De temporum informatione. — Abundant homerica verba, sive initio vel fine tantum, videlicet incrementi vel terminationis causa, a communibus illa differunt[7], sive valde dissimiliores communibus sunt epicæ voces[8].

III. De vocabulis flexuum expertibus.

Præter communes formas inveniuntur nonnullæ diversis e dialectis ductæ : dorica sunt ποτί (VII, 424, 427, 498; — IX, 720; — D. L.) et ποκά (IX, 790; — XVI, 131), epica vero κε

1. Καρηβαρέοντα (VI, 160), αἰνέομεν (VI, 276); — cf. VII, 8, 425; — IX, 722; — XVI, 296.
2. Μαίεαι (VII, 409), προσέρχεαι (IX, 721).
3. Μαρτυρέουσι (VII, 427); — cf. VII, 464, et XVI, 178.
4. 'Απηλάσαο (VII, 303), ψεύσαο (IX, 407).
5. Cf. *Anth.*, *App.*, 317 : φιλάμενος, — apud Homerum ἐφίλατο (E, 61) vel φίλατο (Υ, 304), et apud Hesiodum φίλωμαι (*Th.*, 97).
6. Cf. βρυχᾶτο (VI, 219), δύσατο (ibid.), ἐπείσθορε (ibid.), σμαράγει (ibid.), κάμε (VI, 287), μήσατο (ibid.), τεκνώσατο (VII, 81), γενόμαν (VII, 161), θάνες (VII, 164), χήρωσεν (VII, 172), νόσφισεν (VII, 210), θάνεν (ibid.), ἄμυξε (VII, 218), ὀλοφύρατο (VII, 241), βάλεν (VII, 303), ἑλόμαν (VII, 413), ἅδεν (VII, 424), τεῦξε (VII, 425), ἄγγειλας (VII, 464), πίτνατο (VII, 711), αὐγασάμην (VII, 743), τίσατο (VII, 745), ἔκφυγεν (ibid.), ἰάχησας (ibid.), δωμήσατο (VII, 748), τεῦξε (ibid.), ἕλε (IX, 66), ἅδε (IX, 323), ψεύσαο (IX, 407), νεμόμαν (IX, 720), λείπετο (XVI, 131), ἄγοντο (ibid.), ἀνένεικας (XVI, 133), ἀέθλεε (D.L.).
7. Præsertim cum littera quædam duplicata est : σπασσάμενος (VI, 111), ἐρυσσάμενος (VI, 219), ἐλάσσειν (VII, 427), ἔλλαχεν (VII, 146 et 409); adde tria alia vocabula, scilicet : πεπτήοτας (VII, 427), εὔαδε (VII, 413), μεθέηκε (IX, 76).
8. Ἔδεκτο (VI, 14), θήκατο (VI, 160), ἔκρυφε (VII, 423), λελογχώς (VII, 427), ἤμβροτεν (VII, 713), ἀνένεικας (XVI, 133), ἔπλεο (XVI, 296), λησάμενος (XVI, 305), ἐδάην (VII, 172), ἑρεσπόμεθα (VII, 246).

(VII, 23 et 26), ἠέ (VII, 27 et 713), ὅττι (VII, 146 et 353), εἰν (VII, 65 et 464), εἵνεκα (VII, 218, et IX, 723); homerica sunt quoque ὄφρα (VII, 23 et 209); νόσφιν (IX, 58) atque ὥς adverbium habitum[1].

IV. De prima vocabulorum positione.

Vocalibus homerica verba sæpe a communibus differunt; idem apud Antipatrum, Homeri perpetuum imitatorem. Namque productæ sunt vocales multæ : –ο in –ου[2] aut in –ω[3], –ε in –ει[4] aut in –η[5]; adde his ἶσον (VI, 174) et νεηγενέων (VII, 210, — ling. comm. νεογενῶν). Rarius fit contrarium; ionicæ alioqui, non homericæ sunt hæ dictiones : κρέσσον (VII, 409) et μέζον (IX, 790). — Homericam autem διαίρεσιν communi συζυγίᾳ præfert : ἀείδω (VII, 27 et 427), ἀεθλέω (D. L.); ληϊσταί (VII, 745), ἤϊθεοι (VII, 29 et 161)[6]; semel fit contrarium, incerta quidem lectione Θευδώροιο (VII, 426). — Rarius consonantes talibus in verbis immutantur, ut in ἀπτόλεμος (IX, 323).

Perpauca sunt vocabula formam attici sermonis peculiarem præbentia : πλάττεις (IX, 724), ἄρρεσι (XVI, 131), λυρῳδός (VI, 118).

Plurima contra verba, quorum basis e dorica dialecto sumpta est; at plerumque satis habet poeta, ut id assequatur, litteram η in ᾱ permutare[7]. Interiore autem δωρισμῷ rarius usus est; multo altius enim eo vocabula immutari solent, atque ut hoc, Theocriti exemplo, noster uteretur, penitus nota dialectus illa ei habenda fuisset. Nonnulla igitur tantum hujus sunt exempla, tum in verbis : μελίσδων (VII, 29), συρίσδης (IX, 722),

1. Notandum est nostrum tam libenter εἰς (VII, 303; — XVI, 178) quam ἐς (VII, 164, 423, 745) scripsisse.
2. Οὔνομα (VII, 15), μοῦνον (VII, 29), νοῦσος (VII, 711), etc.; — cf. VI, 10, 276; — VII, 164, 427, 493, 711, 743, 748; — IX, 151, 790; — XVI, 131; — D. L.
3. Διώνυσος (VII, 27, et IX, 603).
4. Ξεῖνε (VI, 174; — VII, 6, 26, 164, 713; — sed ξένε, VII, 2, 423, 425), εἰαριναῖς (VII, 713), etc.; — cf. VI, 223; — VII, 26, 30; — IX, 76.
5. Μακηδόνος (VII, 246).
6. Cf. Νηρηΐδες (IX, 151), βασιλήϊα (XVI, 75), κενεός (VI, 14 et 219).
7. Κυναγεσία (VI, 118), εἰράνα (VI, 159), Στασίχορον (VII, 75), σᾶμα (VII, 164, 425, 467; — sed σῆμα, VII, 146, 164, 353), κάπων (IX, 58), etc. — Multo rarius fit ut contra littera α in η epico more permutetur : ἄκρητος (VII, 27) et φιλάκρητος (VII, 353), ψήρ (VII, 172), νηοί (IX, 151), ἠέρος (VI, 14).

tum in æolico numeri nomine : πίσυρες (VII, 427) et in comparativo : κάρρων (VII, 413). Semel quidem πρᾶτοι (VII, 427), sed ferme πρῶτοι (VI, 118, etc.) scripsit; ut σαοφροσύνας (VII, 65; — D. L.), ita σωφροσύνας; nunquam autem, ut alii Anthologiæ poetæ, Μοῖσα (quod frequentissimum est), χέρσα (cf. VI, 159). Interdum etiam evenit ut verbum non totum dorica specie indutum sit[1], aut eidem vocabulo sit cum epica basis tum dorica terminatio[2]. Manifestum est igitur eum non plane ac perfecte Græci sermonis cognovisse varietates.

Verba quædam denique referenda sunt, quæ diversissimas figuras vicissim præbent, sicut homerica αἶα (VII, 81), γαῖαν (VII, 745; — XVI, 296), γαίης (VII, 748), atque doricum γᾶν (VII, 498); tres autem figuras offert nominis ἥλιος basis, scilicet ἅλιος (IX, 58), ἀέλιον (VII, 6) atque ἠελίοιο (IX, 58), quarum vocum illæ æolicæ sunt ac doricæ, hæc vero epica.

Constat ex his Antipatrum diversissimis dialectis invicem usum esse: raræ sunt atticæ dictiones, verum numero fere pari cum epicæ ionicæque tum æolicæ ac doricæ; quæ arcte nonnunquam inter se copulatæ sunt. Perpendentibus autem nobis qua ratione in diversis epigrammatis dictiones hæ variæ dispertitæ sint, non minus perplexa confusaque res videbitur.

In tertia circiter carminum parte, una est et simplex dialectus: scilicet XIV dorice[3], XVI autem ionice scripta[4]. Utrorumque igitur pæne par est numerus: longe vero alia fit ratio, si hinc et illinc adduntur ea epigrammata, in quibus uno tantum vel duobus sparsis vocabulis ad aliam dialectum pertinentibus simplicitas perturbatur. Etenim carmina XIII dorica paululum impura[5], duo tantum epica non omnino pura lingua scripta sunt[6].

1. Ἠλακάτα (VI, 174, et VII, 424).
2. Frequentes sunt μοῦνα et κούρα.
3. VI, 46 et 159; — VII, 8, 241, 252, 423, 425, 427, 467; — IX, 66, 720, 722; — XVI, 133 et 176.
4. VI, 223; — VII, 23, 26, 27, 29, 30, 218, 246, 303, 353, 713, 745; — IX, 151, 323, 467; — XVI, 75.
5. VI, 109, 118, 160, 174, 287; — VII, 2, 6, 34, 161, 424, 493, 711; — IX, 76.
6. X, 2, et XVI, 305.

Difficile sit dictu qua ratione vel qualibus de rebus unam dialectum alteri præponat. Notaverunt quidam ionice eum de ionicis auctoribus scribere[1]; sed ionice quoque de Æolia Erinna scripsit[2]; Pindarum autem Thebanum modo dorice, modo ionice laudat[3]; Homerum vero dorice canit[4]. Itaque nulla inter argumentum dialectumque congruentia apparet.

In reliquis autem epigrammatis, XXXV numero, penitus permixtæ sunt epicæ et doricæ dictiones, quibus paucæ communes atticæque adduntur. Non tamen pari portione in cunctis carminibus utræque distributæ sunt : namque in undecim epigrammatis plura sunt dorica vocabula[5], in duobus tantum fit contrarium[6]; denique in epigrammatis XXII quæ supersunt[7], pæne æquabilis est partitio. Quorum carminum duo notatione digna sunt[8]: unum enim, dorice inceptum, epica dialecto finitur; alterum ex epicis quatuor quatuorque doricis versibus est compositum. Plerumque contra fit ut in eadem periodo vel eodem in versu quasi temere diversissimæ dicendi formæ mixtæ sint. Ita juxta ponuntur verba Ὀλύμπου et Οὐλύμποιο (IX, 790), Ἅλιος et Ἠελίοιο (IX, 58), μελίσδων (VII, 29) et μελίζεται (VII, 30); taliaque scribere noster non dubitat :

...πολιῆτιν ἀλιζώνοιο Κορίνθου
(VII, 218),
Ὄβριμον ἀκαμάτου στίχον αἴνεσον Ἀντιμάχοιο
(VII, 409),
...ἐδίδαξεν ἀνάγκα
...ἐξευρεῖν ἔκλυσιν Ἀΐδεω,
(VI, 219), etc.

In epigrammatis de Anacreonte compositis (VII, 23-30), dictiones hæ : Ἀνάκρεον et Ἀνακρείοντος (vel -ντα) invicem

1. VII, 23, 26, 27, 29 et 30, de Anacreonte.
2. VII, 713.
3. VII, 34, et XVI, 305.
4. VII, 2 et 6.
5. VI, 115; — VII, 14, 75, 81, 409, 413, 464; — IX, 58; — XVI, 131 et 296; — D. L.
6. VII, 164 et 209.
7. VI, 10, 14, 111, 206, 219, 276; — VII, 15, 65, 146, 172, 210, 426, 498, 743, 748; — IX, 603, 721, 723, 724, 728, 790; — XVI, 178.
8. VI, 14, et VII, 210.

reperiuntur; idem de vocabulis Ζηνί atque Ζεύς (XVI, 75), et præsertim eo de versu, ubi manifestum est ex proposito discordes formas esse conjunctas :

Κούρα γὰρ προὔπεμψε κόραις φόνον, ἄρρεσι δ' ἄρσην.
(XVI, 131.)

Dorica dialectus in summa plus apud Antipatrum valet; ut in plerisque ejus carminibus appareat quod Settius « doricum colorem » vocavit. Verum patet ex tempore quo vixit et præsertim natione qua ortus erat, non nativum ejus hunc fuisse sermonem; argumento est quod cum omnino derelinquere potuit, cum, epica dialecto usus, Homerum ionicosque lyricos accuratius sequi voluit; adde quod in permultis carminibus permixtam dialectum esse vidimus. Quin etiam cum dorice scripsit epigramma quoddam, homericam dictionem interdum adhibet, quia elegantiorem elocutionem efficere eam vel epicam speciem versui addere judicat[1]. Fortasse autem imprudenter communes aliquas vel epicas dictiones, cum doricam dialectum simpliciter usurpare vellet, prætermisit[2]. Denique aliquando suspicari possumus a scriba mutatas esse voces quasdam : scilicet in epigrammate VII, 8, Ἀΐδην habent codices, quod in Ἀΐδαν commode convertit Stadtmuellerus; in VII, 23, εὐφροσύνη cum Planude legere malo, non εὐφροσύνα[3].

Itaque difficillimum foret Antipatri sermonem absolute definire; ut in parum certa, rectissima tamen Settii sententia consistamus. Quærenti autem quare doricam dialectum ceteris prætulerit, ejus orationi et ingenio planissime convenire hujus sermonis naturam apparet. Primo enim graviter sonantes ac paulum turgentes voces, eæ præsertim permultæ in quibus productum ᾱ exsistit, grandibus cum verbis et tumidis nostri locutionibus concordant. Deinde hac lingua usi erant homines

1. Cf. imprimis nomina propria (VI, 287, et VII, 2), genitivos antiquissimos in -οιο desinentes (βόλοιο, VI, 109, etc.), atque plane homericas dicendi formas ut ξεῖνος vel οὔνομα, quæ in carmine dorico enormes grammatico videantur.

2. Ἠλακάταν (VI, 174), φιληλάκατον (VI, 160), κεν (VII, 34); cf. VII, 6 (v. 4), et IX, 76 (v. 6). — Contra fieri potuit ut in carmine ionice scripto eum fefellerit doricum vocabulum, ut in X, 2 (ἐνορμίτας), vel in XVI, 305 (πάσας, ut genitivus habitum).

3. Cf. VII, 427 : ἐρηθείᾳ legendum potius quam ἐρηθείῃ; — VII, 164 : ἁμετέρας, prave a Jacobsio in ἡμετέρας correctum, etc.

gravioribus ingeniis quam subtilioribus, ut ille, præditi. Denique auctores maximi qui eam usurpaverunt, scilicet lyricis in choris, ad proprios suos affectus exprimendos eam non adhibuerunt; neque orationis subtilitate et quasi colorum infinita varietate sensus intimos vel tenuissimos depinxerunt. Ad narrandum contra, vel ad describendum, vel ad ἠθικὰ effata exprimenda, quibus universi afficiantur, eorum scripta pertinent; in quibus scriptoris ipsius animus ac natura minime apparet, ut rhetorice potius quam simpliciter ejusmodi opera composita esse videantur[1]; quod jam de Antipatro perinde animadvertimus. Itaque sua cum natura satis apte congruentium exemplum sequi maluit; quippe quibus tantum parem se fieri sperare et cupere posset; atque eorum dialecto usus est, quæ ad ipsius ingenium plane conveniret. Sed ut omnes Anthologiæ poetæ vel scriptores plerique minores, qui præsertim in elocutione studia ponere solent, et orationem variare conatus est, et priorum inventa, qualescumque erant, commode iterum usurpare, quorum opera, sicut cuncti recentiores, perfecte cognoverat. Ita fit ut eadem de dialecto ac de verborum delectu animadvertamus, quæ hic clarius etiam apparent : quasi per artificium fictum esse ejus sermonem, diversissimis ex verborum generibus conflatum, quæ sæpe inter se non satis cohæreant.

1. Notandum est æolicæ lyræ auctores, imprimis Alcæum et Sappho, cum ionicis scriptoribus hac in re magis convenire quam cum doricis et Bœoticis.

CAPUT VI

Grammaticæ quæstiones.

Ut Antipatri elocutionis omni ex parte notionem assequamur, superest ut grammaticam rationem perpendamus, atque certo statuamus num idem, quod ad linguam et dicendi usum spectat, a suo tempore tam longe abhorreat.

I. De verborum conformatione.

Perpauca notanda manent, videlicet quia in superiore capite pleraque jam perspecta sunt.

1° De nominum flexibus. — Femininam derivatorum adjectivorum dictionem similem masculinæ libenter fingit; atque ea non solum cum in communi sermone quoque hoc evenit[1], sed etiam cum secundum primæ declinationis παραδείγματα feminina forma vulgo facta est. Ita ταυρείου[2] et ἔμπλεον[3] feminine scripsit, cum ταυρείας et ἐμπλέαν plerumque dicatur. Vox autem ἐύκλαρον (XVI, 296) nusquam alias exsistit.

2° De tmesi. — Sæpe, ut Homerus solet, præverbium a verbo sejungit : ἐπί... σπασσάμενος (VI, 111), ἐκ... σεσοβημένος (VI,

1. Νεβρείων (XVI, 305), λάλον (VII, 423), πανεύτονον (VII, 425), etc. — Cf. composita verba, ut πολύμυθον (VII, 423), ἁλιζώνοιο (VII, 218), etc.
2. VI, 219; — cf. Eur., *Hél.*, v. 1582.
3. VII, 424; — cf. XVI, 310.

219), etc. [1]. Quin etiam in versu quodam reversio tmesi addita est :

Ἦ ἔπι καλὸν ἄμυξε κάτα ῥέθος Ἀφρογένεια.
(VII, 218.)

Quod ita raro accidit, ut ter tantum in *Iliade,* in *Odyssea* nunquam, ea verborum structura reperiatur[2].

3° De κράσει. — Hac rarissime quidem Homerus usus est; quæ præsertim in simplici diverbio et attico sermone, interdum autem apud lyricos tragicosque poetas est usurpata. Quam Antipater ita non abhorret, ut ea undecim in locis usus sit[3].

4° De apocope consonantiumque attractione. — Creberrima apud Homerum hæc sunt, atque apud poetas omnes; nempe plane Homerica sunt τίπτε (IX, 721, et XVI, 133), ἔπι pro ἔπεστι (XVI, 131), imprimisque verba præpositionibus ἀνά et κατά compositis, qualia ἄγκειμαι (VI, 159), ἀγκρεμάσας (IX, 323), ἀνσχόμενοι (VII, 711), ἀνθέμενος (D. L.), κάτθανεν (VII, 498), καλλιπόμαν (VII, 464). Quibus addenda hæc vox : ἄνδεμα (VII, 423), pro ἀνάδεμα hic tantummodo scripta, eadem ratione rectissime ficta.

Multo rarius inter se assimulantur duæ consonantes non ex eodem vocabulo sumptæ; cujus rei unum exemplum apud nostrum : τοὺμ ποσίν (VII, 172). Cum autem similia inveniantur in Atticis lapidibus quinto quartoque ante Christum seculis inscripta : ἐμ Βρέα, ἐμ φιδακνίῳ, ita ejusmodi locutiones vulgo expressas esse conjici potest.

1. Cf. ἐκ... ὤρουσεν (VI, 219), ἐκ... ἐάγη (ibid.), σύν... ἔτραφον (VII, 14), ἀπ... ἔσβεσε (VII, 303), ἐκ... θάντα (VII, 745), ὑπέρ... ἔκραγε (XVI, 305). Cf. hanc quoque locutionem, illis simillimam : ἔκ ποτε πόντου (VII, 498).

2. Φυγὼν δ' ὕπο νηλεὲς ἦμαρ (Φ, 57); — cf. ἔχεν κάτα (B, 699) ὦσε δ' ἄπο (E, 308). — Quod ad præpositionis post nomen reversionem pertinet, crebro hic vocabulorum ordo, sicut apud Homerum quoque, invenitur; vide ad VI, 219, 7 (τὸν δὲ μέτα), — 287, 7 (δεξιτερῶν νασμῶν πέλας); — VII, 14, 3 (ἃς μέτα), — 26, 7, — 218, 11 et 14, — 241, 1 et 4; — IX, 58, 6, — 720, 2; — XVI, 176, 5.

3. Χὼ, ὡγρευτής (VI, 118), τἀμά (VII, 26), χἠ (VII, 30), τοὺμ (VII, 172), ὦνερ (VII, 423), χὠ (VII, 427), κἠνίδε (IX, 58), κἠν (IX, 76), τοὔνεκα (X, 2), χὰ (XVI, 131). Adde duo in dubiis epigrammatis VII, 705, et XVI, 167.

II. De verborum syntaxi.

1° De casuum usu. — A. *De accusativo.* — Sæpissime utitur Antipater ea vocabulorum constructione, Græcæ linguæ peculiari, qua accusativo nominis casu significatur ad quid maxime pertineat res verbo expressa : ἐξεάγη ἅπαντα θυμόν (VI, 219), ὀστέα θρυπτόμενον (VII, 2), etc. Nonnulla autem loca digna sunt quæ notentur : in quibus insolitæ quædam locutiones per hunc accusativum creantur, ut πυμάτην οἶμον ἐφεσπόμεθα (VII, 246)[1]; quæ hujus casus constructio sæpissime quidem, etiam in prosa oratione, cum verbis « ire » indicantibus (ἰέναι, βαίνειν, βαδίζειν, πλανᾶσθαι, θεῖν, κτλ.), nusquam vero alias cum verbo ἕπεσθαι usurpatur; at horum verborum tamquam pari significatione ratio ejus rei facile redditur.

Adjectivo quolibet persæpe, accusativo singulari vel potius plurali, pro adverbio utitur; neque solum eadem atque omnes scriptores vocabula sic usurpat[2]; sed etiam quæ rarius, vel in carminibus tantum, ita construuntur, scilicet ὀρθρινά (VI, 160), ἔξοχα (VII, 8), ἄκρητον (VII, 27), ὄβριμον (VI, 219), ὑγρά (VII, 27), μυρία (VII, 241), γνήσια (VII, 425), ἄκριτα (VII, 427), etc.

B. *De genitivo.* — Notandæ sunt nonnullæ locutiones, in quibus vim insolitam hic casus habet, cum duo nomina inter se conjungit; scilicet : γαίης βάρος (VII, 748) = *solo* pondus[3]; — μορφᾶς ἔριν (XVI, 178) = certamen *de* pulchritudine[4]; — denique ὁδὸν νεφέων (VII, 748) = *ad* nubes viam[5].

C. *De dativo.* — Liberius utitur Antipater « instrumentali » qui dicitur dativo, ad instrumentum, modum, causam

1. In ep. VII, 745, ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον (ubi dativo sermo vulgaris uteretur) pravam lectionem esse reor.

2. Πολλά (VI, 223; — VII, 8 et 241), μέγα (VII, 426), οἷα (XVI, 176), etc.

3. Cf. scol.[B] : παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν ἄχθος ἀρούρης; quod referens Stadtmuellerus confert etiam 655 (v. 3), 503 (v. 1), 285 (v. 1), ubi sic usurpatur casus possessivus.

4. Cf. Hom., Θ, 210, etc.

5. Nostra ex conjectura. — Præterea pauca genitivi exempla nullo cum nomine conjuncti, cujus constructionis parum communis est usus, scilicet ἕπτα σόφων (VII, 81) = *inter* septem sapientes; cf. XVI, 133 : ἁ μὲν παίδων.

indicandam[1]; inde rariores quædam construendi vocabula rationes, ut ἀδλαδέας νούσοισιν (VII, 743), μαστῷ πόρτιν ὑπεκδέχεται (IX, 722). Ita quoque forsitan explicanda sit insolita dativi conjunctio cum verbo e præpositione ὑπό composito (ὑπόδωδε); quem locum mutare maluimus[2].

Sicut omnes poetæ, dativum adhibet nominis locum indicantis : Δαρδανικῷ πεδίῳ (VII, 2).

Dativo, ut Homerus, cum vocabulis « par » significantibus uti solet : ἶσον ἀράχνᾳ (VI, 174), ἰσόμορον νήμασιν ἀραχναίοις (VI, 206), ἶσον ἐρίπνᾳ (VII, 748), etc.[3].

Denique notanda sunt nonnulla ἠθικοῦ dativi exempla, imprimis IX, 721 :

τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι ;

et XVI, 178 :

οὐκέτι σοι μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα[4].

2° De numeris. — A. *De plurali pro singulari supposito.* — Quæ apud omnes frequentissima est constructio; exempli causa :

...ἐκ μὲν ἅπαντα
ἐν στέρνοις ἐάγη θυμὸν ὀρινόμενον·
ἀλλ' ἔμπας ἐρίμυκον ἀπὸ στομάτων ὀλολυγὰν
ἦκεν...
(VI, 219, v. 15-18.)

Homerum hic nostrum imitatum esse sentimus, utpote qui epicam orationem affectet[5].

B. *De singulari collectivo.* — Quæ constructio, superiori

1. Cf. VI, 223 : γριπηΐδι τέχνη = dum exercet piscatoriam artem; — VII, 464 : δάκρυσιν = flendo; — VII, 27 : ἀμφίδροχος εἵματα Βάκχῳ; — VII, 30 : ὠδίνεις Κυπρίδι; — VII, 218 : κηώεντι μύρῳ διάβροχον; — VII, 303 : ζώοντα γάλακτι; — VII, 427 : σκάπτροισι μεγαυχής; — XVI, 178 : διάβροχος ὕδατι; etc.
2. VII, 218, v. 8 :

Ἧς καὶ ὑπ' εὐώδει τύμβος ὄδωδε κρόκῳ.

'Επ' cum Sternbachio pro ὑπ' legimus.
3. Cf. Hom., E, 440, etc.
4. Cf. Herodot., IX, 33 : Ἱερωνύμῳ... ἐλθὼν ἐς ἔριν, etc.
5. Cf. VI, 46, v. 2, — 111, 5, — 287, 7; — VII, 29, 4, — 34, 4, — 146, 1, — 172, 5, — 303, 2, — 409, 3, — 423, 3, et 424, 7, — 425, 7, — 745, 4; — IX, 323, 6.

contraria, etiam apud poetas rarior est; libenter tamen ea usus est Antipater :

Λείψανον ...σκολοπένδρης...
πολλὰ θαλασσαίῃ ξανθὲν ὑπὸ σπιλάδι.
(VI, 223.)

Οὖλον... ἄνθος ὕπερθε κόμης[1].
(VII, 27.)

3° De articulis et pronominibus. — A. *De omisso articulo.* — Semper in carminibus omitti potest articulus, etiam cum hoc in prosa mendosum foret, scilicet cum articulari pronomine[2], vel cum vim haberet possessivi[3], vel cum vocabulo ἄλλοι (= ceteri)[4]. Interdum contra articulus nomini additur, ut paulum turgescat oratio[5]; præterea participio articulum, cum nomine omissum, libenter apponit[6]. Verum ad summam cum eo liberrime agit; cujus licentiæ mirum hac donorum enumeratione affertur exemplum (VI, 206) : σάνδαλα, τὸν σφιγκτῆρα, ῥιπίδα, καλύπτειραν, τὸν δράκοντα.

B. *De pronominibus pro aliis substitutis.* — Pro articulari pronomine persæpe sumitur articulus[7]; at contra fit ut in articuli loco, cum vocibus μέν ac δέ conjuncti, relativum pronomen supponatur[8] : quæ homerica sunt et antiquissima.

C. *De pronominum redundantia.* — Duo articularia adjectiva uno cum nomine nonnunquam jungit Antipater : τῆνος ὅδε Ζήνων (D. L.). Ad inflandam orationem valet verbum τῆνος[9]; atque ita construendum est : ὅδε (ἐστὶ) τῆνος Ζήνων[10].

1. Cf. VII, 172 : ψῆρα, γέρανον = ψῆρας, γεράνους; — 218 : ὀστεῦν = ὀστέα; — 252 : ἄλλος = ἄλλοι, etc.
2. VI, 223, v. 1-2, — VII, 2, 3, — 29, 2, — 34, 2, — 65, 1 et 5, etc.
3. VII, 8, v. 6 : μάτηρ = mater *tua;* cf. VII, 241, v. 1 et 3, etc.
4. VII, 409, v. 10.
5. VII, 2 : τὸν ταλίκον = *illum* tam magnum; — cf. VII, 246 : αἱ Περσῶν κείμεθα μυριάδες.
6. Κερκίδα τὰν... μελπομέναν (VI, 160), χαλκὸς ὁ μὴ νοέων (IX, 728), etc.
7. VI, 219, v. 15; — VII, 409, 8, — 427, 6 et 9, etc.
8. Τὸν μὲν, — τὸν δὲ, — ὃν δέ (VI, 14); — ἃ μὲν, — ἃ δὲ, — ἃ δέ (XVI, 133).
Quod ad hanc locutionem pertinet : ἁ μία — ἁ μία = ἁ μὲν — ἁ δέ (IX, 76), nullo alio in loco eam reperire potui, quippe quæ plane insolita et quasi barbara esse videatur.
9. Cf. XVI, 305 : ἑσμὸς ἐκεῖνος = notum illud examen.
10. Ita etiam fortasse explicanda hæc verborum redundantia (XVI, 131) : Ταντταλὶς ἅδε ποχ' ἅδε; quam lectionem, Jacobsio jam suspectam, mutare maluimus.

4° *De adjectivis.* — Pro adverbio aut dativo sæpius adjectivo noster utitur[1]. — Nominis vim nonnunquam adjectivo tribuit, ut in ep. XVI, 133 : βαρὺ γενέθλιον (= γένεθλον). — Denique notanda est locutio δεξίτεροι νασμοί (VI, 287) = dextra (ripa) fluminis; quæ constructio, cum adjectivis ἔσχατος, ἄκρος, μέσος, etc., sæpissime usitata, cum illo nostri est propria.

5° De verborum consequentia. — A. *Adjectivi* ἐπιθέτου. — VII, 427 : Χῖος ἀφαυρότερον; in communi sermone pronomen τι adderetur.

B. *Prædicati.* — Participium inter nomen et prædicatum brevitatis gratia libenter omittit[2].

C. *Relativi pronominis.* — Vis attractiva nominis, numeri certe causa, hic adimitur : ὅπερ θέμις (XVI, 131, v. 7); confer contra Homerum : ἣ θέμις ἐστί (B, 73; — I, 33; — ξ, 130, etc.).

6° De temporum usu. — Sæpissime utitur Antipater imperfecto « narrationis » dicto, quod præteritam rem tantum indicat, non rem simul atque aliud quiddam præterito tempore gestam[3]. Juxta quod liberrime præsens vel præteritum in eadem periodo supponit; exempli causa :

...οἱ δ' ἐνέπουσι Χῖον,
...οἱ δ' ἐβόασαν εὔκλαρον Σαλαμῖνα,
ἄλλοι δ' ἄλλην μαῖαν ἀνίαχον.
(XVI, 296.)

Tenuia autem discrimina, quæ in cujusque temporis usu optimi auctores servaverunt, videtur vel ignorasse vel neglexisse. Ut aoristus γνωμικός hoc in loco

μοι ὀλλυμένων ἅδε λύθρος
ἀνδρῶν
(IX, 323.)

1. Ἑσπέριος (VI, 219, v. 8) = ἑσπέρᾳ; — οὔριον (VII, 164, v. 10) = σὺν οὔρῳ; — ἀθρόος (VII, 210) = *qui simul agit*, id est *simul*.
2. VII, 2 : εἰ δ' ὀλίγα κρύπτω τὸν ταλίκον; — IX, 720 : ἂν νεμόμαν... δάμαλις; — XVI, 131 : σοὶ δ' ἔπι δεῖμα λίθος.
3. Cf. imprimis VI, 219 (v. 13-14), 223 (v. 5); — XVI, 131 (v. 6 et 8).

convenienter legibus optimæ syntaxis usurpatur, ita hoc in versu

ἤδη γάρ οἱ ἐπῆλθε γάμου τέλος
(VI, 276.)

perfecti communem vim aoristus habet. Quin contra perfectum non ea quæ præteritam rem nunc consequuntur, sed præteritum aliquid tantum significat[1]. Quæ senescere linguam et in deterius labi manifeste ostendunt.

Aliis in locis evenit ut perfectum, in longius prolata significatione solita, præsenti quasi par factum sit : ita κέκευθε (VII, 6) plane perinde valet tamquam κεύθει (VII, 2, v. 10, et 14, v. 1)[2].

Non minus incerta est participii temporum vis : fit enim ut præsens tamquam imperfectum[3] aut futurum[4] valeat; ut aoristus non rem indicet quæ ante aliam, sed quæ eodem tempore in præterito facta sit[5]; quod alias perfectum significat[6].

7° De modorum usu. — A. *De indicativo.* — Unum indicativi præsentis exemplum reperitur post particulam μή, quæ verbum sequitur timorem exprimens :

Μναμοσύναν ἕλε θάμβος...
...μὴ δεκάταν Μοῦσαν ἔχουσι βροτοί.
(IX, 66.)

Nonnunquam alias reperiuntur talibus in sententiis, cum factum jam id haberi potest quod timetur, indicativi aoristus vel perfectum vel futurum[7], rarius præsens[8]; quam minus usitatam verborum constructionem imitatus est Antipater, neque, obstantibus omnibus codicibus, ἔχωσι legendum est.

1. Ut in versu VII, 743, 8, verbum πεφόβησθε.
2. Cf. ὑπόδωδε (VII, 218), ὑπέζευκται (VII, 409), ἀμφιβέβηκας (VII, 426), etc.
3. τιταίνων et ἐρύκων (VII, 172), ἀναδυομέναν (XVI, 178).
4. δαΐζων (VII, 210, v. 5).
5. Δαίμοσιν εἰναλίοις δοὺς τέρας εἰνάλιον.
(VI, 223).
6. Τὸν πάρος... μεμυκότα... ταῦρον.
(VI, 115).
7. Φοβούμεθα μὴ ἀμφοτέρων ἡμαρτήκαμεν (Thuc., III, 53), — δείδω μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν (Hom., ε, 300), — φοβοῦμαι μὴ λόγοις ψευδέσιν ἐντυχήκαμεν (Plat., *Lys.*, 218 d); — φοβερὸν, μή... κείσομαι (Plat., *Rép.*, V, 451 a).
8. Δέδοικα μὴ πληγῶν δέει (Aristoph., *Nub.*, 493); — φοβεῖσθε μὴ δυσκολώτερόν τι νῦν διάκειμαι ἢ ἐν τῷ πρόσθεν βίῳ (Plat., *Phæd.*, 84 e).

B. *De subjunctivo.* — IX, 722 : παρέρχεο, μηδὲ... συρίσδῃς. Aut σύρισδε aut συρίξῃς[1] optimi prosæ auctores scripsissent. Quam legem neque Homerus neque recentiores observaverunt; propter quod sibi concessum ut ita scriberet noster putavit.

VII, 209 : ὄφρα σε καὶ φθίμενον... αὖλαξ θέλγῃ : constructio plane homerica.

C. *De infinitivo.* — VII, 146 : νικᾶν ἔλλαχεν : et Homero et tragicis solita constructio.

8° DE NON FLEXIS VOCABULIS. — A. *De negationibus.* — Antipater, sicut omnes poetæ solent, negativis particulis οὐδέ et μηδέ (=neque) etiam post affirmativam sententiam utitur[2].

Quod ad negationum οὐ atque μή usum pertinet, multis in locis hæsitare videtur, legesque modo observat, modo negligit :

VII, 26 : ...σπεῖσον γάνος, ὡς...
μηδὲ καταφθίμενος Βάκχου δίχα τοῦτον ὑποίσω
...χῶρον.

Legitimum hoc est, imperativi verbi causa[3].

IX, 728 : χαλκὸς ὁ μὴ νοέων.

Hæc negatio participio adjungenda est, quia illud sententiæ vim habet generali significatione : ὃς μὴ νοέει (=ea res quæ non sentiat). Adde quod recentiores omnes negationem μή quolibet in loco participio libenter præponunt.

VII, 218 (v. 13-14) :

εἰ δ' οὐ πάγκοινον δούλην θέτο κέρδεος εὐνήν,
Ἑλλὰς ἂν, ὡς Ἑλένης, τῆσδ' ὕπερ ἔσχε πόνον.

Merus hic est solœcismus; qui numeri observatione minime potest excusari; certissima autem est codicum lectio. Apud Homerum quidem, vel rarius apud atticos scriptores, talibus in locis reperitur negatio οὐ, cum εἰ idem valet atque ἐπεί, vel

1. Ita legendum putat Boissonadius.
2. IX, 722; — X, 2 (v. 1), etc.
3. Neque vero conjunctione ὡς (=ita ut) neque participio negatio μή attrahi potest.

cum οὐ sequenti verbo ita significatione conjungitur, ut quasi unum vocabulum fiat; exempli causa, apud Homerum (β, 274) εἰ δ' οὐ κείνου γ' ἐσσὶ γόνος = εἰ ἄλλου κτλ., apud Lysiam εἰ οὐ πολλοί = εἰ ὀλίγοι, apud Sophoclem εἰ οὐκ ἐᾷς = εἰ ἀπαγορεύεις, etc. Idem denique fieri potest, cum jam negabat sententia, antequam ex altera penderet[1]. At dissimillimus hic locus est. Itaque opinari licet Antipatrum intempestive inepteque homericam hanc licentiam per antiquitatis affectationem imitatum esse, cujus rationem non plane intellexerit.

B. *De præpositionibus.* — Dativum post nonnullas præpositiones Antipater sæpius usurpat, cum genetivus in prosa oratione potius adhiberetur : scilicet post præpositionem ὑπό, homerica hæc est constructio[2]; idem de præpositionibus ἐπί (= propter, vel in possessione)[3], ἀμφί[4], μετά (= cum)[5].

Quid autem præpositiones valeant et proprie significent non omnino intellexisse videtur Antipater; aut certe non satis apte ac perfecte distinxit, quo et quali sensu bina verba præpositionibus conjuncta inter se cohæreant. Unde fit ut in rariores vel miras verborum significationes incidat, ut εἵνεκα σεῦ (IX, 723) = si voluisses, — διὰ κρίσιν (VII, 146) = secundum opinionem, etc.[6]. Linguam igitur sentimus tunc in deterius ire et paulatim ab illa certa et subtili orationis compositionisque ratione, quod præcipuum Græcæ linguæ fortasse decus fuit, ad morem quemdam laxiorem remissioremque delabi.

C. *De particulis.* — Periodos inter se particulis conjungere solet, quæ sententiarum rationem et consecutionem demonstrant; perpauca exsistunt ἀσύνδετα[7]. Præterea, ad epicum

1. Cf. Kühner-Gerth, II, 2, p. 188 sq.
2. Ξανθὲν ὑπὸ σπιλάδι (VI, 223); — ὑπὸ πτέρυγι (VII, 210 et 713), — et post passivum verbum (XVI, 131, v. 7-8, jam antea relatos).
3. Ἧ ἔπι καλὸν ἄμυξε κάτα ῥέθος Ἀφρογένεια (VII, 218, v. 11), — οὐδ' ἐφ' ἑνὶ τλάμων λείπετο (XVI, 131, v. 6).
4. VI, 219 (v. 13); — VII, 30 (v. 3), 425 (v. 9), etc.
5. Σαπφὼ... μετὰ Μούσαις ἀειδομέναν (quod ita forte quoque intelligi potest : *inter Musas*) (VII, 14).
6. Cf. imprimis ἐκτός = longe a (VII, 65), ἔκ (τινος) = nomine (alicujus) (VI, 118, v. 2), — παρά accusativo junctum = apud (VII, 146); — ὕπερθε (VII, 27) præpositionis, ἀγχόθι (VI, 287) contra adverbii loco habetur (cf. de illo multa Tragicorum loca, de hoc Theocr., XXII, 40, etc.).
7. VII, 713, v. 7 (ubi γάρ desideratur). Cf. epigrammata seu quæ dialogi formam præbent, seu quibus fracta est oratio, jam relata, p. 55, n. 1.

colorem elocutioni addendum particulæ pertinent : scilicet ex Homeri oratione sumuntur ἦ ῥα (VII, 427, — IX, 724 et 790), ἦ που (VII, 464), αὐτάρ = tum (VI, 219, v. 15). Aliæ vero recentiores sunt, vel pravioris dicendi generis, ut καὶ δέ (VII, 241, v. 7, et XVI, 131, v. 9).

Quibus vocabulis communem vim plerumque relinquit; attamen animadvertendum vocem αὖ (VII, 423) *præterea*, non *sed contra*[1], atque ἔνθεν (VII, 425) *itaque* significare, quod rarius fit[2].

De earum autem constructione pauca sunt notatione digna : scilicet δή primum periodi locum obtinet (VII, 241, v. 11), quod enorme est; — modo inter articulum ac nomen ponitur particula δέ, modo post ἐπίθετον (VI, 206, v. 3 et 7, etc.); — denique cum verbo τε cunctæ adhibentur constructiones, quæ a poetis unquam usitatæ fuerunt[3].

Interjectionibus perpaucis utitur : una enim mera invenitur interjectio, scilicet ἰώ (VII, 745); adde nonnullas exclamationes[4] atque imperativos interjective prolatos[5].

9° De verborum tropis. — A. *De circumlocutione.* — Præsertim in numerandi ratione hæc figura adhibetur, sane ut perficiatur versus, verum etiam ut numerorum nominum vis certa quidem et exacta, sermonis vero propior, attenuetur[6]; præterea nonnulli verborum circuitus, ut σὺ δίχα (VI, 115) = σύν, — φειδὼ ἔχειν (VII, 493) = φείδεσθαι, etc. Quæ in oratione perinde valent ac sententiarum ambitus.

B. *De verborum detractione sive ellipsi.* — Sæpenumero verbum subauditur; neque solum diversa verbi εἶναι tempora[7],

1. Contra fit ut particula δέ sententias inter se valde opponat (VII, 413, v. 2 et 5; — IX, 723); quod plane legitimum est.
2. Cf. Eurip., *Troj.*, v. 951.
3. Exempli causa : σποδιή τε καὶ ὀστέα (VII, 23), ἀνία καὶ κημὸς ὅ τ'... οἰωνός (VII, 424), ἔκ τε Φίλας ἔκ τε Πολυκράτεος (VI, 118), κισσὸς ἁβρά τε πέταλα (VII, 23), etc. Cf. præsertim IX, 58 : καί... καί... τε... καί... καί... τε.
4. Ὡς εὖ (VII, 427), ἴδ' ὡς (VI, 219, v. 23; — VII, 172, v. 7, — 210, v. 7, — 498, v. 7, — 743, v. 7).
5. Φέρε, subjunctivo junctum (VII, 427), ἔρρε (IX, 407), ἐνίδε (IX, 58).
6. Δισσάκι τετρόργυιον (VI, 223), δισσάκις ἑνδεκέτις (VII, 164), δὶς ἑπτάκι vel ἕπτα (XVI, 131).
7. VII, 164 (v. 1, 2, 7), 413 (v. 7), 427 (v. 9), 713 (v. 1); — IX, 151 (v. 1-4), 728; — X, 2 (v. 1); — XVI, 75 (v. 6), 131 (v. 7), 176 (v. 1), 305 (v. 5).

sed alia etiam quolibet modo — quod rarum est apud optimos scriptores — cum intellectu facile restitui possunt[1]. Quod ad breviorem tantum faciendam sententiam plerumque valet[2]; at nonnunquam celerius diverbium faciunt, ut in ep. VII, 164; aut graviorem grandioremque orationem facit verbi detractio, ut in epigrammatis quæ sic exordiuntur :

Τύμβος Ἀνακρείοντος.
(VII, 30.)

Τῆς πολιῆς τόδε σῆμα Μαρωνίδος.
(VII, 353.)

C. *De constructione* ἀπὸ κοινοῦ. — Rarius apud Atticos ea constructio exsistit, quæ fit quoties præpositio pluribus nominibus sensu juncta ultimo tantum apponitur; qua, a recentioribus poetis contra dilecta[3], Sidonius quater usus est[4]. Kaibelius autem, pronior, ut solet, ad res in universum affirmandas, asserit[5] eum talibus in locis verba semper ita struxisse; ideo epigramma IX, 72, in quo hic scriptus est versus :

ὄλλυται εἴτε λύκοις εἴθ' ὑπὸ τοῦ φύλακος,

Sidonio ille abjudicat, qui certo λύκων scripsisset. Aliis quidem ex rationibus Thessalonicensi tribuendum id epigramma censuimus; verum in alio quodam invenitur ejusmodi ἀσυμμετρία[6] : cujus tamen Sidonius haud dubie auctor est. Itaque nimis absolute rem asseruisse Kaibelius videtur[7].

1. Ἔθεσαν (VI, 206), ἐτέθησαν (VI, 118, v. 1), φέροιτο (VI, 118, v. 5), γίγνεται (VII, 748, v. 7), πλάττει (IX, 724), etc.
2. Idem de communibus quibusdam ellipsibus, ut ἐν δ' Ἀχέροντος (VII, 30), σμῆνος ἀπὸ Μουσῶν (VII, 34), ἁ πρὶν Ὁμήρου ψυχά (VII, 75), πλεῖον μαζῶν = πλεῖον τοῦ τῶν μαζῶν (IX, 407), etc.
3. A. P., VII, 470 (v. 3-4); — IX, 713 et 419, etc. De ejus usu apud lyricos et tragicos, cf. Kühner-Gerth, II, 1, p. 550.
4. Τὸν μὲν γὰρ ξυλόχων, τὸν δ' ἠέρος, ὃν δ' ἀπὸ λίμνας.
(VI, 14.)
...Λάδωνα καὶ ἀμφ' Ἐρυμάνθιον ὕδωρ.
(VI, 111.)
Σώσιδος ἔκ τε Φίλας...
(VI, 118.)
Ἑλλὰς ἂν, ὡς Ἑλένης, τῆσδ' ὕπερ ἔσχε πόνον.
(VII, 218.)
5. *Hermes*, XVII, p. 421-423.
6. XVI, 131 (v. 7-8), jam relatos p. 56.
7. Adde quod alia ἀσυμμετρίας exempla apud nostrum haud semel exsistunt, ut in ep. VII, 164 (v. 5-6); — D. L. (v. 3-4 : οὐκ... ἀνθέμενος, οὐδ' ...ἀέθλεε).

D. *De* ὑπαλλαγῇ. — Quæ, apud omnes poetas communis, septem in locis apud nostrum reperitur :

... ἀβρά τε λειμώνων πορφυρέων πέταλα
(VII, 23),

... ἢ Κίκονα Θρῃκὸς Σμερδίεω πλόκαμον
(VII, 27), etc.[1].

In summa, Homerum Antipater verborum syntaxi plerumque sequitur; a quo permultas constructiones, valde a vulgari sermone diversas, hic mutuatus est, eas imprimis quæ, a posteris acceptæ, non homericæ tantum, sed communis omnibus poetis elocutionis propriæ factæ erant. Præterea, nonnullis recentioribus dictionibus ab optimorum auctorum oratione discrepat : liberior est grammatica ratio, minus diligenter leges observantur, quod tamquam deflorescere litteras Græcas patefacit. Aliquando igitur, sicut novissimi linguæ cujusvis scriptores solent, pristinum sermonem eum affectare sentimus; cujus voces et locutiones prave nonnunquam usurpat. Itaque, quod jam antea de dialecto animadvertimus, non simplices et arte vacuæ sunt apud eum verborum informatio et syntaxis, sed antiqua revocare conatus est; quod tamen non tam apte ac perfecte assequi potuit, ut interdum recentiora quædam veræ ejus ætatis indicio non essent.

1. Cf. VI, 115, sub finem; — VII, 467, v. 2, — 711, v. 8; — IX, 323, v. 5; — XVI, 131, v. 8.

CAPUT VII

De prosodia.

Antipatri tempore certæ ac statutæ leges erant prosodiæ et rei metricæ; itaque minime jam dubitabant poetæ quid quæque syllaba valeret; sed interdum exsistunt apud eos licentiæ, quod apud recentiores fieri solet, seu quia leges ignorant vel prave intellegunt, sive quod eas per simulatam negligentiam omittunt, ut simpliciores videantur; quod est in Anthologia frequentissimum. De Antipatro vero longe secus est : cum enim curiosissime sint ejus carmina elaborata, religiose leges eas observat, quas illius temporis diligentes poetæ adhibebant. Callimachum igitur severitate proximus sequitur, superatis Meleagro et Philodemo[1]. Itaque, si quando a communi prosodia abhorret, fere pristinos poetas, imprimis Homerum, auctores habet. Sic fit ut primam verborum quorumdam syllabam in arsi[2] producat, ne breves ex ordine tres reperiantur : scilicet μῡδᾰλέον[3], ᾱνĕρος[4], ῡδᾰτι[5], ῑĕρός[6], Δῑŏγένευς[7]; epica etiam est dictionis φῑλᾰμένα scansio[8]. Aliis in verbis modo communi, modo epicæ consuetudini obsequitur[9].

In arsi autem vocalem aliquot in vocabulis contra optimorum auctoritatem Homerico more producit, ut in πλᾱθειν (IX,

1. Cf. A. Couat, *Versification des Hymnes de Callimaque;* — H. Ouvré, *Méléagre de Gadara* (cap. XI); — Kaibel, *Philodemi Gadarensis epigrammata.*
2. Latino vocabuli intellectu.
3. VI, 109, v. 6; — cf. Hom., A, 54, — Hés., Ἔργα καὶ Ἡμέραι, 556, etc.
4. VII, 426, v. 6.
5. XVI, 178, v. 3.
6. VII, 2, v. 4 et IX, 76, v. 5; — cf. Hom., A, 147, — P, 455, etc.
7. VII, 65, v. 1; — cf. Hom., A, 337, etc.
8. IX, 790, v. 5; — cf. Hom., E, 61 = ἐφῑλατο, — Y, 304 = φίλατο, — atque in Anthologia dictiones hæc : φῖλαι, ἐ̄φίλαο.
9. Ἴσα (VII, 2, v. 1), — sed ῑσον (VI, 174, v. 1; VII, 748, v. 5, etc.); — κᾱλά (VII, 424, v. 10; — XVI, 296, v. 2), — sed κᾰλόν (VII, 218, v. 11); — ita inter Ἀ̄ίδεω (VI, 219, v. 24, — in arsi) et Ἄ̆ίδης (VII, 30, v. 5) hæsitat.

323, v. 6), Ἀπόλλωνι (XVI, 75, v. 1), ἀναδυομέναν (XVI, 178, v. 1). Licenter vero in thesi litteram α in verbo Ἄρηϊ producit, quod apud recentes tantum reperitur[1]; quo de nomine Homericam legem sæpius observat, scilicet Ἄρης in thesi (IX, 323, v. 8; — XVI, 75, v. 5), in arsi autem Ἄρεϊ (XVI, 75, v. 1)[2].

Quod ad breves positione producendas attinet, legem stricte observat; eas enim syllabas, in quibus vocalem muta et liquida sequuntur, fere producit, etiamsi verborum duorum in fine vocalis, initio consonantes sitæ sunt[3]. Correptionis ut dicunt Atticæ — quam in epigrammatis multo libentius quam in epicis carminibus Alexandrini receperunt — exempla tredecim apud nostrum exsistunt: quorum sex intra verbum unum[4], septem autem cum a vocali verbum finitur[5]. Æque autem in priore atque in altera dactyli theseos syllaba brevem ejusmodi ponit.

Tres syllabas, ubi vocalem una sequitur consonans, produxit: quarum in duabus ante litteram ῥ, initium vocabuli ducentem, posita est vocalis; quod apud Homerum sæpissime accidit. Tertio in loco ante pentametri cæsuram vocalis natura brevis producitur[6].

De elisione adeo severus est Antipater, ut nunquam longam vel δίφθογγον elidat. Breves autem CLXX in versibus DL elisit, scilicet: ε CXIII, α XXXVI, ι XIV, ο VII. Inter vocalis ε elisiones pleræque ad particulas δέ (LXIV) et τε (VIII) pertinent, ceteræ vero, XLI numero, ad vocabula ex his composita[7], vel ad alias particulas[8], vel ad aliquas locutiones plane cohærentes[9], vel denique ad verba ubi ἐφελκυστικοῦ ν locum elisio

1. IX, 323, v. 3; — cf. A. P., VI, 91; — VII, 449; — IX, 491, etc.
2. Eas voces hic omittimus, jam antea relatas, quibus prosodiæ gratia forma mutatur: Διώνυσος, ἔλλαχεν, ξεῖνος, ὅττι, etc.
3. Cf. VI, 14, v. 3, — 223, v. 5, — 276, v. 2, etc.; cum autem duæ alius generis consonantes secundi vocabuli faciunt initium, semper producitur vocalis (VI, 219, v. 12 et 17, — 223, v. 4; — VII, 2, v. 1, — 75, v. 4, etc.).
4. Ἄτρακτον (VI, 160, v. 3), πολύθριξ (VI, 276, v. 1), Ἀφροδίτην (VII, 218, v. 7), κέκριμαι (VII, 426, v. 4), Ἑρμοκράτεια (VII, 743, v. 1), Ἱπποκράτευς (IX, 407, v. 1).
5. IX, 66, v. 2, — 721, — 724, — 728; — X, 2, v. 7; — XVI, 131, v. 9, — 176, v. 4.
6. Ἐπὶ Ῥοιτηΐσιν ἀκταῖς (VII, 146, v. 1), κατὰ ῥέθος (VII, 218, v. 11), — θυόεν ἄσθμα (VII, 218, v. 10).
7. Οὐδ', ὅδ', τοιόσδ', μήτ', etc.
8. Ὅτ', ὅποτ', γ', etc.
9. Ἴδ' ὡς, φέρ' ἴδω (VII, 427, v. 1).

tenet[1]. Vocales ceteræ modo in verbis[2], modo in accusativis aut neutris pluralibus in α desinentibus[3], præsertim in præpositionibus eliduntur, quod in prosa etiam accidit[4]. Severiores de hoc leges observabant Philetas et Callimachus, qui vetabant nomina, adjectiva, verba elidi. Quin etiam nullo in loco elisionem vitavisse videtur Antipater, præterquam intra sextum hexametri pedem; quinto enim in pede atque in pentametri fine sæpius reperitur[5].

Hiatum vitare non solet, nisi quod brevem in aliam vocalem concurrere non patitur[6]. At Homeri legem religiose observat, scilicet productam vocalem longam in arsi manere[7], brevem vero in thesi fieri[8]. Plerumque autem — XXXVII in locis — δίφθογγος in vocalem concurrit, sæpissime in monosyllabis[9], rarius in verbis[10] vel in nominibus[11]. Quæ omnes in thesi positæ, semper breviantur; verum ut in tertia, sic in secunda syllaba dactyli reperiuntur; perperam igitur asserit Stadtmuellerus[12] trochaïcum hiatum vitavisse Sidonium; cujus exempla tredecim apud eum exsistunt; dua notanda in eodem versu (VI, 115, v. 7):

Σᾶς τοί ὅδ' ἐκ ῥίζας ἀναδέδρομεν· οὐ οἱ ἀεικές...[13]

Nunquam autem elisione hiatus efficitur[14].

Alia sunt artificia, quibus poetæ uti solent, ut mitigetur asper vocalium concursus, scilicet ἀφαίρεσις et κρᾶσις quæ dicuntur; quarum priorem omnino Antipater omisit, alteram jam perpendimus, videlicet p. 76.

1. Ἔπλεκ' (VII, 146, v. 6), οἶδ' (VIII, 252), ἠμαύρωσ' (IX, 58, v. 7).
2. Εἴλεθ' (VI, 174, v. 7), ὤλετ' (VII, 467, v. 3 et 4).
3. Στάμον' (VI, 174, v. 2), κάρυκ' (VII, 6, v. 3), βάρβιτ' (VII, 29, v. 4), κεῖν' (VII, 464, v. 6), etc.
4. Ἀλλ', ἐπ', ἀπ', κατ', etc.
5. Cf. VII, 2, v. 9, — 8, v. 7, etc.; — VII, 210, v. 6, — 218, v. 14, — 427, v. 12, etc.
6. Contra quod non repugnat VI, 219, v. 13: ἀμφὶ δέ οἱ (= Ϝοι); frequentissimi autem tales hiatus apud Homerum.
7. VII, 467, v. 1, — 748, v. 5 (?).
8. VI, 206, v. 7; — VII, 75, v. 4, — 209, v. 4, — 246, v. 1, — 413, v. 1, — 424, v. 1, — 493, v. 7, — in utraque dactyli theseos syllaba.
9. Καί, τοι, μοι, σοι, etc.
10. Ἔλθοι ἐς (VII, 164, v. 9), μαίεαι εἰ (VII, 409, v. 6).
11. Ἰνοῖ ἀνοικτίρμων (VII, 303, v. 5), μοῦναι ἀπόρθητοι (IX, 151, v. 7).
12. *A. G.*, vol. II, p. XVIII.
13. Cf. VI, 276, v. 3; — VII, 14, v. 3, — 164, v. 7 et 9, — 209, v. 4, — 246, v. 1, — 303, v. 5, — 353, v. 3 et 5, — 745, v. 3; — IX, 151, v. 7.
14. Ut apud Meleagrum κλῦ' ἐμὰν φάτιν (XVI, 134, v. 1), etc.

Cum autem intra verbum concurrunt vocales, propriam vim servare utraque solet[1]. At nonnunquam vocales duæ, quæ δίφθογγον in sermone communi efficiunt, per διαίρεσιν distrahuntur, sive in terminatione : Ἄρεϊ (XVI, 75, v. 1), κάδεϊ (XVI, 133, v. 10), — sive in vocabuli basi : ὀϊστευτήρ (VI, 118, v. 3), ὀϊστόβολος (VII, 427, v. 10)[2]. Quod ad δίφθογγον εὐ- pertinet, hæsitavit, scilicet διαίρεσιν quinquies adhibuit[3], sæpius autem omisit[4].

Ex contrario fit ut vocales duæ unam in syllabam per συναίρεσιν confusæ sint, modo in vocis basi[5], modo in terminationibus -εω, -εων vel -εαι. Quarum paulo rarior est συναίρεσις quam διαίρεσις : quater enim contractæ sunt vocales -εω, sexies -εων, semel -εαι :

Συναίρεσις	Διαίρεσις
Μαιονίδεω (VII, 2, 2), Πυθαγόρεω (VII, 75, 3), Μελικέρτεω (VII, 303, 5), Σαώτεω (IX, 603, 1).	Ἀΐδεω (VI, 219, 24, et VII, 711, 8), Σμερδίεω (VII, 27, 6), Θεαρίδεω (VI, 111, 3).
Μουσέων (VII, 6, 3), Μοιρέων (XVI, 75, 1), τευχέων (XVI, 176, 5), χρυσέων (VII, 711, 2), ληϊστέων (VII, 745, 8), Λαπιθέων (XVI, 296, 4).	Δαρδανέων (VI, 115, 3), θεῶν (VII, 745, 8), νεφέων (VII, 748, 8), etc., etc.
Προσέρχεαι (IX, 721, 1).	Μαίεαι (VII, 409, 6).

Apud Homerum autem pariter justæ sunt cum συναιρέσεις tum διαιρέσεις hæ omnes; itaque harum dicendi formarum neutram ex lege discurrere dici potest. Quarum una traditum ab antiquis morem servat, altera cum solito litterarum sonitu magis congruit; inter quas consuetudines alterutram poeta sequitur, nulla lege accepta, præter judicium aut ingenii sui inclinationem.

1. Exempli causa : μυδάλεον (VI, 109), θηγαλέους (ibid.), θεοῖς (VII, 8, v. 8), ἀϋτμάν (VI, 219, v. 9), ἠϊόνος (VI, 223) et ἀΐονι (VII, 464, v. 2), Κρονίδαο (VII, 2, v. 5, et 161, v. 1), etc.
2. Attamen οἴστρῳ (VI, 219, v. 1).
3. Ἐΰπλοκον (VI, 174, v. 3), ἐϋσπείροισι (VI, 219, v. 3), ἐΰστροφα (VII, 172, v. 3), ἐΰπτερον (IX, 603, v. 5), ἐΰκλαρον (XVI, 296, v. 3).
4. Εὐκλώστου (VI, 174, v. 4); — cf. ibid., v. 5 et 6, — 206, v. 2 et 9, — 219, v. 9 et 18, — 223, v. 2, — 287, v. 1, etc.
5. Ut in nomine Ἅιδαν (VII, 423, v. 7), sæpius Ἀΐδαν (VII, 8, v. 8, — 30, v. 5, — 65, v. 6, — etc., omnino decies).

CAPUT VIII

De re metrica.

Elegiacis distichis scripta sunt omnia quæ supersunt Antipatri epigrammata[1]. Cujus modi numeri valde variantur, prout plures sunt sive dactyli sive spondæi, aut diversis rationibus utriusque generis pedes in singulis versibus inter se componuntur. Fere autem Græci hexametrorum scriptores dactylo magis indulserunt; qui nostro imprimis gratus fuit, cum levibus numeris periodorum gravitas corrigeretur.

Itaque haud rari sunt hexametri dactylos quinque continentes (d d d d, LVIII); quod ne usu fastidiosum fiat, satis est spondæum unum admitti. Attamen si primum vel quartum pedem occupat, vix interrumpitur numerus; ut eæ formæ, satis quidem usitatæ (s d d d, XXXVI, — d d d s, XVII), non tamen primum locum obtineant. Secundo contra in pede pulcherrime stat dactylus : grata enim est modulatio, nec nimia συμμετρία (d s d d, LXXII). In tertio vero hoc habet incommodi quod hemistichium nimis pari par repetitur : d d s d d s. Itaque hic modus a Callimacho fere prohibebatur; quem Antipater, minus severus poeta, in XVIII versibus usurpavit, quorum in plerisque, auctore Callimacho, bucolicam cæsuram adhibuit[2].

1. Aliis quoque modis eum scripsisse constat; cf. Ciceronem *(loc. cit.)* et Meleagrum (A. P., VII, 428), qui nostrum ποικίλον ὑμνοθέταν vocavit.
2. VI, 115, 5 :

Καὶ τάδε σοι βριαρᾶς, Ἡράκλεες, | οὐ δίχα βύρσας...

Cf. VI, 118, 5, etc.

Multo rariores sunt versus tres dactylos continentes, præterquam cum duobus spondæis versus incipitur (s s d d, XVII); pravæ sunt ceteræ formæ, seu quia nimis æquali ordine instructi sunt pedes (d s d s, XV, — s d d s, IX), seu quod tertio in pede ponitur spondæus, quod a Callimacho vetitum erat (d s s d, XIV, — s d s d, V, — d d s s, I). Denique inter versus duo habentes dactylos, duas modo formas rarissime admittit (s s s d, VI, — s s d s, V, — nunquam vero d s s s, s d s s)[1]. Nullus autem apud eum versus est quinque ex spondæis unoque dactylo compositus (s s s s)[2].

Spondaïcos versus Alexandrini, ut heroïcis in carminibus dilexerunt, ita in elegiis vitare soliti sunt. Nullum enim apud Callimachum, Asclepiadem, Posidipum, Hedylum ejus rei exemplum reperitur; duo habet Meleager spondaïcos versus, propriis quidem nominibus conclusos; atque uno in Antipatri spondaïco versu idem accidit[3].

Minus libere de pentametro agitur, videlicet quia in priore tantum hemistichio pedes permutare licet. Duobus autem dactylis libenter incipit Antipater (d d, LXXII), libentius etiam dactylo atque spondæo (d s, CXXIV); quem numerum ceteris Alexandrini prætulerunt. Rarius vero fit contrarius ordo (s d, XLII), atque initium duobus spondæis effectum (s s, XXXVII), quo incommode sex productæ syllabæ continenter exsistunt.

Cæsura hexametri præcipua pæne semper apud Antipatrum penthemimeris est aut trochaïca[4]. Ut apud Alexandrinos fieri solet, auctore Callimacho, trochaïca præfertur[5]; qua minus clare et distincte quidem versus pronuntiatur, commode vero hemistichia inter se colliguntur, cum vitetur offensio quæ intermissa post fortiter expressam syllabam elocutione fiat.

1. Quarum priorem admittit Callimachus, cum nomen proprium in versu reperitur; alteram nunquam usurpavit.
2. Apud Callimachum quoque non admissus est hic modus; Meleager contra omnes has praviores formas recepit.
3. VII, 748, 7 : Ἡρακλῆος, incerta quidem lectio.
4. Quatuor in versibus neutra præcipua videtur, scilicet : VII, 6, 1 (trithem. + hephthem.); — VII, 65, 5 (διαίρεσις est post tertium pedem); — VII, 164, 5 (trithem. + bucol.); — VII, 467, 7 (hephthem. + bucol.).
5. Trochaïcæ CLXVI, CVIII autem penthemimeres.

His sæpe adduntur minores incisiones, scilicet trithemimeris vel hephthemimeris vel bucolica. Rarior quidem est hephthemimeris : nam si penthemimeri adjungitur (quod ter accidit), post proximos duo ictus versus moleste interrumpitur; si trochaïcæ (quod decies fit), non satis inter se distant intermissiones. Trithemimeris autem cum penthemimeri haud secus ingrata est; itaque, cum sic adhibetur, vix percipi potest[1]; cum trochaïca contra multo jucundior est, ut XXIV in versibus ita usurpetur[2]. At multo creberrima est bucolica, quæ valde Alexandrinis placuit, non adeo tamen, ut ea tamquam præcipua cæsura — id est vel una sufficiente — uti auderent; longius enim foret prius hemistichium; verum cum penthemimeri conjuncta, versum in tres partes non omnino æquas dividit, quod numerum optime interrumpit; cum autem trochaïcæ hæc additur, bis intermitti vocem nulla gravi offensione licet. Itaque sæpissime adhibetur[3]; quid autem hæc et quam feliciter in numero valeat, postea intuebimur.

Interdum accidit ut propter negligentiam haud certissime statui possit utrum penthemimeris an trochaïca cæsura sit, cum ex monosyllabo constet tertii dactyli brevis prior. Rarius sane apud exactissimum poetam nostrum hoc fit; quippe cujus rei duo tantum habeat exempla[4]. Trochaïca autem in utroque versu cæsura videtur esse (post μέν et τε). Denique aliud est exemplum cæsuræ post monosyllabon positæ, scilicet in corrupto versu (XVI, 131, 1), quem ita scribimus :

Ταντάλις ἅδε ποχ' ἁ || δὴ τέκνα δὶς ἕπτα τεκοῦσα.

Licet cum insequentibus verbis articulum ἁ ex intellectu cohæreat, satis est elisio ad eum præcedentibus jungendum, quod licentiæ affert excusationem.

1. Excepto VII, 493, 3 :

Ἀλλ' αὐταὶ, || πάτρας | ὁπότ' ἔφλεγεν ἄστυ Κορίνθου...

2. VI, 10, 1 :

Τριτογενὲς, | Σώτειρα, || Διὸς φυγοδέμνιε κούρα.

Cf. VI, 109, 7, — 111, 1, etc.
3. Penth. + bucol. : LIV; — troch. + bucol. : XLIII.
4. VII, 427, 11, et IX, 603, 7; Meleagri contra XLV in versibus hæc licentia exsistit.

In pentametro vero stabilis esse cæsura solet. Attamen non plane medio in versu propter sensum nonnunquam intervallum faciendum est, uti cum inter articulum et nomen cæsura incidit[1]. Tum διαίρεσις exsistit, modo intra secundum pedem[2], modo in pede solitam cæsuram insequente[3]. Crebres autem sunt minores incisiones post primum pedem vel sesquipedem positæ; quibus infra mox insistemus.

In hexametro contra pæne nulla notabilis est διαίρεσις; una tantum, post secundum pedem, digna est quæ referatur[4]. Quin etiam certis in locis verbum finiri non patitur, ut in quarto pede inter duas dactyli breves, præsertim cum haud negligenda exsistit cæsura bucolica[5].

Mirum quod cæsuram quinto in pede vitavisse non videtur; idque non solum cum vocabulum quo pes finitur cum superiore arcte conjungitur, vel cum monosyllabon pedis initium efficit[6]; verum haud secus fit quoties ita excusari licentia minime potest[7]. Quæ in distichis quidem levior videtur, ubi metrica periodus non eumdem atque hexameter finem habet.

Disyllabis vel trisyllabis vocabulis apud Antipatrum hexametri concludi solent; ante quæ tum trisyllabum tum disyllabum exsistit; ut frequentissimæ clausulæ duo verba, vel tria rarius habeant; quæ ita significabimus : 2 + 3, postea 3 + 2, deinde 1 + 2 + 2, 1 + 1 + 3, 1 + 4, 2 + 1 + 2. Notandum clausulas eas omnes pentasyllabas esse, videlicet quia creberrimæ sunt cæsuræ bucolicæ.

Rara sunt in versus fine verba quatuor syllabis majora, vel

1. VI, 109, 2 :

ἰχνοπέδαν, | καὶ τὰς || νευροτενεῖς παγίδας.

2. IX, 151, 4 :

Σισύφιαι, | λαῶν || θ' αἵ ποτε μυριάδες.

3. VII, 81, 2 :

φατὶ δὲ Σισυφία || χθὼν | Περίανδρον ἔχειν.

Cf. VII, 164, 2, — 424, 6.

4. VII, 164, 7 ; totius carminis fracta est oratio.

5. Excepto VII, 164, 7 : λέλοιπα γὰρ | ἐν νεότητι, — ante duo monosyllaba, quorum prius cum verbo præcedente cohæret.

6. VI, 109, 1 :

Γηραλέον νεφέλας τρῦχος τόδε, καὶ τριέλικτον.

Cf. VII, 14, 5, etc. Cf. infra quæ ad clausulam 1 + 4 pertinent.

7. Cf. præsertim VI, 46, 1 (τὰν πρὶν Ἐνυαλίοιο καὶ Εἰράνας ὑποφᾶτιν), — 160, 1 et 5, — 287, 3 ; — VII, 6, 1 et 3, — 27, 9, — 413, 7, — 498, 5 et 7, — 711, 3 ; — IX, 323, 7 ; — VI, 296, 3.

tetrasyllaba longum secuta vocabulum[1]. Quæ exeunte versu elocutionis impetum tardant, nec sæpe apparet ad quid hoc pertineat[2], nisi cum versus nomine proprio finitur[3].

Rariores etiam versus monosyllabo conclusi. Non enorme quidem hoc est, cum monosyllabon aliud ipsa vox ultima sequitur[4]. Quæ ceteris in locis cum pænultimo verbo fere cohæret[5]. Denique longissimis vocabulis occurrens monosyllabon asperum versus efficit sonitum, ut plane cum sententia congruat (VI, 219, 7) :

Τὸν δὲ μετ' ἀρρίγητος ἐπείσθορε ταυροφόνος θήρ.

Pentametri autem alterum hemistichium duobus e vocabulis compositum esse solet; cujus clausulas ita significabimus : 3 + 4, deinde 4 + 3, 2 + 5, 5 + 2, atque ter modo 1 + 6[6]. Nonnunquam reperiuntur trium verborum clausulæ (circiter LXXX), rarius quatuor (omnino XIII). Nusquam exsistit in fine monosyllabon; quin etiam cum ex una syllaba pænultimum verbum constat, aliud monosyllabon semper præponitur[7]. Ita fit ut tranquillus pentametri modus, paulum gravis ac varietatis expers, non interrumpatur.

Alia etiam ad mutandum carminis numerum valent, scilicet quot in versu verba sint quoque in loco ponantur interpunctiones. In hexametro sunt apud epicos sex vel septem vocabula; plura vero apud eos qui prosæ orationem imitantur vel celeriorem elocutionem affectant : ita decem vel plura etiam verba Meleager Antipaterque Thessalonicensis in uno

1. Ter invenimus clausulam 2 + 5, bis 3 + 5, bis 4 + 5, semel 4 + 4, bis 5 + 4.

2. Exemplum offert IX, 790, 1 :

Τίς ποκ' ἀπ' Οὐλύμποιο μετάγαγε παρθενεῶνα;

Cf. VI, 160, 5, — 223, 1, — 287, 7 ; — VII, 426, 1, etc.

3. Ut in versu IX, 151, 7 :

Μοῦναι ἀπόρθητοι Νηρηΐδες Ὠκεανοῖο.

Cf. VII, 218, 11 ; — XVI, 296, 3, etc.

4. Cf. VII, 467, 3, et IX, 723, 1.

5. Μέν vel δέ : VI, 174, 3 ; — VII, 164, 1 ; — XVI, 75, 5.

6. VII, 14, 8, et XVI, 176, 6, propriis nominibus versum claudentibus ; — VII, 423, 4.

7. VII, 65, 6 :

ἐχθαίρει φαῦλον πάντα καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

Cf. VII, 164, 2, et IX, 724, 2.

versu recipere solent. Apud Sidonium contra, cujus gravior est oratio, verba sex ut plurimum in hexametro, quinque vix in pentametro continentur; qui numerus grandibus cum verbis epicoque periodorum colore plane congruit. Quin etiam sæpius fit ut in disticho non amplius quam novem[1], vel semel octo[2], reperiantur vocabula; immo non rari sunt hexametri quatuor e verbis compositi, quod multum ad tardandam elocutionem valet[3]. Plurimos autem inter pentametros, quibus verba quatuor insunt, plerique aliquo ex nomine constant, cui adduntur et adjectivum quoddam et genitivus adjectivo ipse instructus.

Haud multis in hexametris sunt decem vel undecim verba; qui modo pentametros paucis e verbis compositos antecedunt, ut modus varietur[4], modo efficiunt ut celerius diverbium[5] fervidiorve satira fiat[6], aut vehementius dolor exprimatur[7].

Præterea curare solitus est Antipater ut versuum numeros variaret. Ad quod expeditum erat efficere ut fortes interpunctiones neque in versus exitum neque in cæsuram inciderent. Cum autem intra versum notabilis exsistit interpunctio — quod apud nostrum vicies circiter (rarius quidem) evenit — narrationis vel diverbii impetus augetur : ita fit de territi leonis fuga[8], de vehementibus Antimachi laudibus[9], atque imprimis eis de carminibus quorum fervidam orationem

1. VI, 10 :

Τριτογενὲς, Σώτειρα, Διὸς φυγοδέμνιε κούρα,
Παλλάς, ἀπειροτόκου δεσπότι παρθενίης.

VII, 409 :

Ὄβριμον ἀκαμάτου στίχον αἴνεσον Ἀντιμάχοιο,
ἄξιον ἀρχαίων ὀφρύος ἡμιθέων.

Cf. VI, 159, 3-4, — 160, 3-4, — 206, 7-8, etc.

2. VII, 210, v. 3-4 :

Ἀΐξας ἔντοσθε νεοσσοκόμοιο καλιῆς
νόσφισεν ὠδίνων τετραέλικτος ὄφις.

3. Cf. VI, 219, 3, — 223, 1, etc.
4. VI, 276, etc.
5. VII, 164 et 427.
6. VII, 353.
7. XVI, 131.
8. VI, 219, v. 21 et 23 :

... τὸ ζωᾶς ἐπαρωγόν· | ἀήθεα γὰρ τότε βύρσης
ταυρείου κενεὸν δοῦπον ἔδεισε λέων,
ἐκ δὲ φυγὼν ὤρουσεν. | Ἴδ' ὡς ἐδίδαξεν ἀνάγκα κτλ.

9. VII, 409.

liberioresque cæsuras jam notavimus, scilicet VII, 164 et 427. Ad hoc, sæpissime accidit ut hexametri non in fine sed post quartum pedem sit intermissio; quod distichon duas in partes minime pares dividit, scilicet quatuor septemque pedum[1]. Cum autem eo accedit ut in pentametro sit vocis remissio, tres[2] vel raro quatuor in partes[3] distichon dividitur; ultra quod nimis diremptum foret.

Alia etiam ad hexametrum cum pentametro stricte conjungendum valent; quod plane fit si prior distichi versus duarum vel trium syllaborum « rejectione », ut dicunt, tamquam producitur : quæ sæpius ex uno pede[4], rarius e sesquipede[5] vel aliqua pedis parte[6] constat. Ita vocabulum quodvis in lucem proferre licet; nomen enim σκίπων (VII, 65, 4) satis est ad figuram pannosi cynici evocandam; hæ voces γοργὸς Ἄρης (VII, 493, 4), sic dispositæ, sævum ostendunt deum deletæ Corintho imminentem; idem de horrendo in Nioben vaticinio : πέτρος ἔσῃ (XVI, 133, 10).

Non ultra distichi modum proferenda est metrica periodus; a qua lege, quam Meleager etiam servavit, discedere unus ausus est Posidipus; apud Antipatrum autem adeo raro neglecta est, ut eo infirmari non videatur[7].

1. VI, 206, v. 9-10 :

... πατρὸς Ἀριστοτέλους συνομώνυμος· | αἱ συμομήθεις
ἅλικες Οὐρανίῃ δῶρα Κυθηριάδι.

Cf. VI, 276, 3-4; — VII, 14, 5-6, — 29, 5-6, — 30, 5-6, — 65, 5-6, — 353, 5-6, — 409, 7-8, — 425, 7-8 et 9-10, — 427, 1-2 et 3-4, etc.

2. VI, 118, v. 5-6 :

Ἀλλ' ὁ μὲν ὠκυβόλων ἰῶν κράτος, | ἁ δὲ φέροιτο
ἄκρα λύρας, | ὁ δ' ἔχοι πρῶτα κυναγεσίας.

Cf. VII, 426, 3-4, etc. (scilicet 8 + 7 + 7 semipedes).

3. Cf. VII, 164, 1-2, 5-6, 7-8.
4. VI, 276, 1-2 :

Ἡ πολύθριξ οὔλας ἀνεδήσατο παρθένος Ἵππη
χαίτας...

Cf. VII, 2, 4, — 8, 2, — 65, 4, — 172, 2, etc.

5. VI, 160, 1-2 :

Κερκίδα τὰν ὀρθρινὰ χελιδονίδων ἅμα φωνᾷ
μελπομέναν...

Cf. VII, 15, 2, — 164, 8, — 493, 4; — XVI, 75, 6, — 131, 2, — 133, 10.

6. VI, 219, 17-18 :

Ἀλλ' ἔμπας ἐρίμυκον ἀπὸ στομάτων ὀλολυγὰν
ἧκεν...

Cf. VII, 6, 4, — 425, 6, etc.

7. VII, 498 (v. 4-5 et 6-7), 743 (v. 6-7), 745 (v. 6-7).

Orationem libenter quadrat, verbis præsertim sensu junctis sonituve similibus cum in cæsura tum in fine versus positis :

Ἶθρις ἀνὴρ κοιλῶπιν ὀρειάδα δύσατο πέτραν...
(VI, 219);

Καὶ τὸν Ἀχιλλείοις Φαρσαλίσιν Ἕκτορα πώλοις
ὀστέα Δαρδανικῷ δρυπτόμενον πεδίῳ.
(VII, 2.)

In pentametro utique id crebrum, quod exactiorem versum efficit[1].

Fere idem in elocutione valet verbi cujusdam iteratio[2]. Quod ad duplicati vocabuli locum pertinet, animadvertamus id modo sub cæsuram versusque finem[3], modo ineuntibus proximis versibus positum esse[4], rarius autem et ineunte et exeunte eodem versu[5].

Interdum — non sæpe quidem — vim certam vocibus per sonum ipsum adhibere conatus est; nempe manifestum est eum tubæ clangorem, litteris ξ, κ, γ, λ, ρ repetitis, imitari voluisse :

(τὰν) μέλπουσαν κλαγγὰν βάρβαρον ἐκ στομάτων,
Χαλκοπαγῆ σάλπιγγα γέρας Φερένικος Ἀθάνᾳ[6]...

Leonis autem clamor, silva repercussus, versuum horum sonitu reducitur in mentem :

βρυχᾶτο σφεδανῶν ὄβριμον ἐκ γενύων...
ἄχει δ' ὑλάεις ἀγχινέφης σκόπελος.
(VI, 219, v. 12 et 14.)

Litteræ ρ iteratione refertur seu fundæ stridor :

ῥινοῦ χερμαστῆρος εὔστροφα κῶλα τιταίνων,
(VII, 172.)

1. Cf. VI, 109, 4 et 8, — 111, 2, 4 et 6, — 159, 4, — 160, 8; — VII, 2, 8, etc.
2. Cf. cap. IV, p. 55 sq.
3. VI, 223, 8.
4. VII, 26, 29, 210, 218, 467.
5. XVI, 131, 7 :

Μάτηρ οὐχ ὑπὸ παισὶν, ὅπερ θέμις, ἀλλ' ὑπὸ ματρὸς...

6. VI, 46 (de tubæ consecratione); cf. VII, 34 : Πιερικὰν σάλπιγγα, κτλ.

seu fusorum murmur :

τόν τε καρηβαρέοντα πολυρροίβδητον ἄτρακτον,
(VI, 160.)

seu maris fragor « tremulo horrore sulcati » :

πορφύρει τρομερῇ φρικὶ χαρασσομένη.
(X, 2.)

Sæpius vero ex ipsa modulatione, maxime pedum cæsurarumque dispositione, proprius efficitur versus cujusque numerus. Antea autem relatis exemplis nonnulla sunt adjicienda : plures enim in hexametro dactyli radium in lana currentem oculis subjiciunt[1] aut currus provolantes[2], cum spondæis contra pluribus lenta laborisque magni res exprimatur[3]. Si fortes poetæ cujusdam versus laudat, canori celeresque ipsius fiunt versus[4]. Diversæ autem et multæ cæsuræ atque rejectiones aut fervidiorem aut fractam et tamquam anhelantem orationem efficiunt : sive simplicissimis de rebus pedestri sermoni quasi similem elocutionem esse voluit[5], seu Martem deum vehementissime loquentem inducit[6], seu mærorem de Corinthi ruina exprimit[7]. Subtilissimæ nonnunquam sunt eæ numerorum commutationes, ad varios animi motus exprimendos effectæ. Niobes enim orbæ cruciatum duobus in epigrammatis effinxit[8]; quorum in priore compressa est ægritudo, recondita mæstitia et tamquam mitescens, itaque fluentes versus pluresque dactyli; in altero contra gravior acriorque dolor erumpit, ideoque plures sunt syllabæ productæ, asperiores cæsuræ parumque solitis in locis positæ[9].

1. VI, 160, 1 : Κερκίδα τὰν ὀρθρινὰ χελιδονίδων ἅμα φωνᾷ
μελπομέναν...
2. IX, 58, 1 : Καὶ κραναᾶς Βαβυλῶνος ἐπίδρομον ἅρμασι τεῖχος.
3. IX, 58, 3 : καπῶν τ' αἰώρημα.
4. VII, 409, v. 1-2, jam relatos; quod hic eo notabilius est, quo magis abrupti sunt proximi versus.
5. IX, 407 et 720-728.
6. IX, 323.
7. IX, 151.
8. XVI, 131 et 133.
9. V. 1-10, imprimis 5-6 :

Ἁ μὲν γὰρ παίδων σπαίρει πέλας· ἁ δὲ λιπόπνους
κέκλιται· κτλ.

CONCLUSIO

Quodsi ad summam Antipatri tamquam imaginem paucis verbis depingere tentamus, hoc proprium ejus indoli et ingenio fuisse comperiemus, quod Phœnicius ille fuerit, Græcisque litteris sit institutus, atque sub Romanorum dominatione vixerit. Cujus perplexæ naturæ indicia omnibus ejus virtutibus vitiisque præbentur.

Artis enim scribendi quanta sit dignitas et honestas et decor, rectissime et acerrime sensit; qui maximos auctores, quos videtur plane cognovisse, vehementer est admiratus et æmulari summa opera conatus est. Verum ad magna concipienda recentior hic poeta minime fuit idoneus, neque epigrammatis mensuram transgredi potuit; quin etiam in hoc ipso genere exempla superioris ætatis raro assequitur, cum nonnunquam elegantia et ingenuitate careat.

Itaque se totum elocutioni dedidit; quæ si maximis virtutibus præstet, incommodum id pensare possit. In ea autem deprehenditur quid in ejus natura barbari manserit; nempe vidimus eum, sicut plerique homines ab Oriente vel Meridie oriundi, orationi turgidæ ac tumidæ indulgere, grandibus verbis uti, et aptissimum esse ad voces plurimas minimis de rebus fundendas; qui fere de nugis amplissimas periodos splendidissimosque tropos edere solitus sit. Non tamen eum nimis perplexæ vel insolitæ figuræ ac locutiones delectaverunt, neque in eis eligendis judicio caruit, videlicet quia

optimorum auctorum disciplina institutus est et eruditus. Tenuissimis autem in argumentis sermonem epicum sæpe assecutus est; nam peritissimus fuit versuum componendorum, omnesque numeros penitus perspexit.

Fidelis ille maximorum scriptorum discipulus, cum eos non propius sequi potuerit, nonnullis eis laudibus superbiens, ingenium id putavit esse — quod vitium apud recentiores frequenter exsistit — facilitatemque suam, in oratione ingenitam, in versibus informandis laborando comparatam, divinum afflatum spiritumque esse existimavit. Tum eam artem exercere cœpit, qua Ciceroni, et sane plerisque temporis sui Græcis Romanisque, notus fuit, id est versus ex tempore fundere, eosque statim repertos coram permultis audientibus, litterarum curiosis, recitare. Constat audientes ipsos in ejusmodi cœtibus argumenta poetis proponere solitos esse; itaque non illi fortasse crimini dandum est, quod de vulgaribus vel pæne inanibus rebus carmina sæpius edidit, atque ad intimos affectus suos minime pertinentibus. Hæc artificiis quibusdam orationis, parum variis, quæ in promptu habebat, expedite solebat explicare. Cujus, ut diximus, facilitatem circumstantes vehementer admirabantur, libenterque eum plausu laudibusque efferebant; nam elocutioni speciosæ alliciebantur homines, quorum judicium, sicut ipsorum scriptorum, pravius tunc evadebat. Nulla igitur nostro erat causa, cur majora conaretur assequi, vel in eis communibus et minimis rebus non staret, quæ ornatissime et facillime exprimerentur; etenim quid in ejusmodi arte exiguum, sterile ac vanum inesset, omnino eum fugiebat[1].

Hoc autem illi est peculiare, quod virtutibus eis præditus fuit, quæ raro conjungantur, scilicet ad studiose ac sincere laborandum simul atque ad copiose et splendide scribendum idem fuit aptissimus. Sed nec satis purum ac moderatum ei fuit judicium, et altis sensibus caruit vel magno proposito, quo tamquam sublatus longum opus perficere potuisset.

1. Num alia carmina composuerit atque epigrammata, non patet; verum asserere licet eum minimis his operibus imprimis studuisse, et in eis præcipuam obtinuisse laudem, cum talia tantum reliquerit.

APPENDIX

ANTIPATRI SIDONII EPIGRAMMATA[1]

I

Epigrammata dedicatoria.

1. (VI, 10.)

Τριτογενὲς, Σώτειρα, Διὸς φυγοδέμνιε κούρα,
Παλλάς, ἀπειροτόκου δεσπότι παρθενίης,
βωμόν τοι κεραοῦχον ἐδείματο τόνδε Σέλευκος,
Φοιβείαν ἰαχὰν φθεγγομένου στόματος.

2. (VI, 14.)

Πανὶ τάδ' αὔθαιμοι τρισσοὶ θέσαν ἄρμενα τέχνας·
Δᾶμις μὲν θηρῶν ἄρκυν ὀρειονόμων,
Κλείτωρ δὲ πλωτῶν τάδε δίκτυα, τὰν δὲ πετηνῶν
ἄρρηκτον Πίγρης τάνδε δεραιοπέδαν.
Τὸν μὲν γὰρ ξυλόχων, τὸν δ' ἠέρος, ὃν δ' ἀπὸ λίμνας
οὔ ποτε σὺν κενεοῖς οἶκος ἔδεκτο λίνοις.

3. (VI, 46.)

Τὰν πρὶν Ἐνυαλίοιο καὶ Εἰράνας ὑποφᾶτιν,
μέλπουσαν κλαγγὰν βάρβαρον ἐκ στομάτων,

1. Nostris conjecturis emendati sunt versus (VI, 219, 5, — 223, 3); — VII, 15, 1-2, — 27, 3 et 8, — 423, 5, — 711, 7, — 745, 7, — 748, 8; — XVI, 131, 1, — 175, 2.
VI, 14, 3. Τάν (P) legere malo quam τῶν (Pl.), cum nullus nominibus θηρῶν et πλωτῶν articulus adjungatur.

χαλκοπαγῆ σάλπιγγα γέρας Φερένικος Ἀθάνᾳ,
λήξας καὶ πολέμου καὶ θυμέλας, ἔθετο.

4. (VI, 109.)

Γηραλέον νεφέλας τρῦχος τόδε καὶ τριέλικτον
ἰχνοπέδαν καὶ τὰς νευροτενεῖς παγίδας
κλωβούς τ' ἀμφιρρῶγας ἀνασπαστούς τε δεράγχας
καὶ πυρὶ θηγαλέους ὀξυπαγεῖς στάλικας
καὶ τὰν εὔκολλον δρυὸς ἰκμάδα τόν τε πετηνῶν
ἀγρευτὰν ἰξῷ μυδαλέον δόνακα
καὶ κρυφίου τρίκλωστον ἐπισπαστῆρα βόλοιο
ἄρκυν τε κλαγερῶν λαιμοπέδαν γεράνων,
σοί, Πὰν ὦ σκοπιῆτα, γέρας θέτο παῖς Νεολᾴδα
Κραῦγις, ὁ θηρευτὰς, Ἀρκὰς ἀπ' Ὀρχομενοῦ.

5. (VI, 111.)

Τὰν ἔλαφον, Λάδωνα καὶ ἀμφ' Ἐρυμάνθιον ὕδωρ
νῶτά τε θηρονόμου φερβομέναν Φολόας,
παῖς ὁ Θεαρίδεω Λασιώνιος εἷλε Λυκόρμας,
πλήξας ῥομβωτῷ δούρατος οὐριάχῳ.
δέρμα δὲ καὶ δικέραιον ἀπὸ στόρθυγγα μετώπων
σπασσάμενος κούρᾳ θῆκε παρ' ἀγρότιδι.

6. (VI, 115.)

Τὸν πάρος Ὀρβηλοῖο μεμυκότα δειράσι ταῦρον,
τὸν πρὶν ἐρημωτὰν θῆρα Μακηδονίας,
Δαρδανέων ὀλετῆρ' ὁ κεραύνιος εἷλε Φίλιππος,
πλήξας αἰγανέᾳ βρέγμα κυναγετίδι·
καὶ τάδε σοὶ βριαρᾶς, Ἡράκλεες, οὐ δίχα βύρσας
θῆκεν, ἀμαιμακέτου κρατὸς ἔρεισμα, κέρα.
